PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLI / FASC. I

15 mart. 1952



ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1952

39310

FASCICULI
INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

Pag.

Detractio et ius in famam, Iosephus Farraher S. I. 6

De moralitate actus iustititae, Dr. L. Bender O. P. 36

Missionarii eorumque privilegia et dec. S. P. « Consilium suum prosequens », Gerardus Lunter O. F. M. 61

De matrimonio nullo inter absentes contracto, Franciscus X. Hetch S. A. C. 58

II - Monumenta

SS. D. N. Pius Pp. XII

1 - *Allocutio ad delegatos A. C. Italicae* . . . 61

2 - *Allocutio membris conventus universalis de catholico Laicorum Apostolatu* 67

Annotationes, M. Fábregas S. I. . . 79

S. C. Consistorialis

3 - I. *Instructio de vicariis castrentibus* . . 82

II. - *Epistola ad Ordinarios Hispaniae eadem de re* 87

S. C. De Religiosis

4 - *Decretum quo apud eamdem S. C. constitui tur « studium »* 89

Sacra Romana Rota

5 - *Vicentina* - Nullitatis Matrimonii ponente R. P. D. A. Wynen 91

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLI / FASC. I

15 mart. 1952



ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1952

v. 41
1952

IMPRIMI POTEST

Romae, die 7 martii 1952

P. Petrus M. Abellán S. I.
Rector Universitatis

IMPRIMATUR

Ex Vicariatu Urbis, die 12 martii 1952

† A. Traglia
Archiep. Caesarien., Vic. Gen.

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE - ROMAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DETRACTIO ET JUS IN FAMAM

« Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir » ait S. Jacobus Apostolus in sua epistola catholica [1]. Vere communissima sunt peccata linguae et insidiosa. Sed aliis linguae peccatis quodammodo insidiosior videtur detractio. Nam, in aliis, sicuti in calumnia, vituperatione, blasphemia, malitia facile advertitur. Sed quis ignorat quot sint detractores qui se excusant tamquam solius veritatis studiosos!

Ideoque operae pretium videtur investigare et praecise determinare fundamenta malitiae peccati detractionis; seu, investigare naturam et stabilire fundamentum ipsius juris in famam, praesertim in quantum respicit detractionem ut a calumnia distinctam, ita ut clarius videantur principia normis practicis in hac materia substrata.

Sed antequam in medias res nos projiciamus, quidam termini sunt definiendi, saltem sufficienter ad tenorem sequentium. Tria in primis sunt distinguenda: diffamatio, detractio, calumnia. *Diffamatio* hic sumitur ut terminus genericus significans quamlibet famae laesionem; itaque includit famae laesionem tum per detractionem, tum per calumniam, tum etiam per media justa et licita. *Detractio* est laesio famae per injustam revela-

---

[1] Jac. III, 2.

tionem veri criminis seu defectus occulti. *Calumnia*: laesio famae per impositionem criminis seu defectus falsi [2].

Jus definitur ut personae potestas moralis aliquid habendi, faciendi vel exigendi. Est jus strictum, seu jus in justitia commutativa, quod est personae privatae respectu alterius vel aliarum personarum privatarum. Si tale jus violatur, obligat ad restitutionem; et violatur si id in quod jus habetur, aufertur vel destruitur, domino rationabiliter invito.

Ut definitio compleatur: si est jus communitatis qua talis respectu alicujus privati, dicitur jus in justitia legali; si est jus privati respectu communitatis qua talis, est jus in justitia distributiva.

Ad definiendam famam, saltem generaliter, audiatur Cardinalis De Lugo, cum cujus definitionibus omnes concordant:

> Fama ergo sic solet definiri, *fama est multorum existimatio de vita et moribus alterius*... Fama ergo bona dicitur *illaesae dignitatis status vita et moribus comprobata*: ... brevius ... *bona de aliquo estimatio quoad aliquod bonum* [3].

Notio est satis communis, et hae definitiones sufficient ad ingrediendam quaestionem. Postea magis inspicienda est natura famae de qua agitur in detractione.

I. Fundamentum juris in famam

A. *Argumenta auctorum.*

Theologi antiquiores parum tractant directe et ex professo quaestionem de natura et fundamento juris in

---

[2] Haec terminologia communis est inter theologos moderniores et cognita etiam auctoribus antiquioribus; hi autem saepe adhibent *detractionem* ut terminum genericum, qui includit *detractionem simplicem* et *calumniam*.

[3] De Lugo, Joannes Cardinalis, S. J., *Disputationes De Justitia et Jure*, Venive: Pezzana, 1718. Tom. I, disp. 14, sect. 1, n. 1.

famam, sed potius indirecte tantum, in afferendis rationibus suae doctrinae de variis punctis particularibus. Plerique tractatum incipiunt, praesupponendo hominem habere tale jus [4]. Alii tractationi directae appropinquant, probando hominem habere dominium in famam suam. Omnes in hoc concordant, quoad factum, quod quidem praesupponit jus ad famam in justitia commutativa. Sed etiam tractando de illo dominio, multi id vel praesupponunt ut concessum, vel arguunt a posteriori ex consensu omnium quoad possibilitatem tum restitutionem condonandi tum se infamandi [5].

Nihilominus nonnulli auctores antiquiores et plerique moderni tractant problema magis directe. Soto [6], Molina [7], Becanus [8], Lessius [9] et multi moderni [10] arguunt hominem esse dominum famae suae item ut bonorum materialium, quia, uti haec, sic illa bonum aliquod est quod mereri et augeri potest sua propria industria et activi-

---

[4] E. g., De Lugo, *op. cit.*, tom. I, disp. 3, sect. 3, n. 44, in prima sua mentione dominii in famam praesupponit jus. Paragraphus dicit etiam servum *retinere* dominium in famam suam, sed nullum probationem affert.

[5] E. g., cf. Lessius, Leonardus, S. J., *De Iustitia et Iure*, Paris: Thierry, 1606, lib. II, cap. 4, dubit. 11, n. 59; Molina, Ludovicus, S. J., *De Iustitia et Iure*, Antwerp: Hetsroy, 1609, tom. V, tract. 4, disp. 2, n. 6; Becanus, Martinus, S. J., *Summa Theologiae Scholasticae*, Lugduni: De Ville, 1690, Pars III, tract. 2, cap. 4, q. 2, n. 3.

[6] Soto, Dominicus, O. P., *De Iustitia et Iure*, Lugduni: Rovillius, 1569, lib. 4, q. 1, art. 3.

[7] *loc. cit.*, disp. 2, n. 4.

[8] *loc. cit.*

[9] *loc. cit.*

[10] E. g., Pruemmer, Dominicus, O. P., *Manuale Theologiae Moralis*, ed. 3ª, Friburgi Brisgoviae: Herder, 1923. Tom. II, n. 7; Tanquerey, Ad., S. S., *Synopsis Theologiae Moralis et Pastoralis*, ed. 3ª, Romae: Desclée, 1907, vol. II, n. 36; Merkelbach, Benjaminus H., O. P., *Summa Theologiae Moralis*, Parisiis: Desclée, 1932, vol. II, n. 169.

tate. Molina docet dominium esse etiam fortius in famam quam in divitias, quia, cum bona materialia data sunt a Deo Creante toti generi humano,

> ... fama et honor ... ob virtutem et ob alia strenue a nobis gesta nobis competunt, nos ipsi nostra industria comparavimus nobis ...: ergo quemadmodum divitiarum, sic longe maiori cum ratione domini sumus honoris nostri ac famae [11].

Quod argumentum bene explicare potest quomodo bona fama *vera* mereri possit; sed ut monstretur hominem retinere jus in famam etiam post peccatum occultum, auctores generatim afferunt unum vel alterum duorum aliorum argumentorum. Quorum unum docet famam esse bonum quod homo olim meruit et cujus adhuc retinet possessionem tranquillam ideoque etiam jus. Alterum argumentum docet jus fundari in bono communi, propter malos effectus qui sequerentur ex revelatione criminum occultorum.

Laymann primum illud argumentum adhibet, sed cum distinctione jurium. Arguit peccatorem retinere jus possessionis sed non dominii. Quod indirecte exponit, aiens, quamvis calumniator hominem privat tum possessione tum dominio famae suae,

> Qui autem crimen verum occultum prodit, proprie tantum privat hominem iure possessionis: non etiam dominii: quandoquidem fama per se, et secundum veritatem criminoso debita non est, sed per accidens, videl. ob publicam ignorantiam [12].

Etiam De Lugo videtur adhibere argumentum possessionis in initio tractationis suae de detractione [13]; aliqui moderni eo utuntur explicite [14]. Exemplo sit P. Delaney, scribens in *The Catholic Encyclopedia.* Fama, ait

---

[11] *loc. cit.*, disp. 2, n. 4.

[12] Laymann, Paulus, S. J., *Theologia Moralis,* Venetiis: Maldura, 1700, Lib. III, tract. 3, pars 2, cap. 3, n. 4.

[13] *op. cit.*, tom. I, disp. 14, sect. 1, n. 7.

[14] E. g., Pruemmer, *op. cit.*, vol. II, n. 189; Bucceroni, Janua-

... est res publica. Talis ergo retinet possessionem tranquillam aestimationis communis. Dato hoc fundari in errore et ignorantia quoad conditiones veras, nihilominus, cognitio solummodo unius alteriusve individui respectu veri rerum status nullum jus confert ut auferatur ab eo illa bona aestimatio generalis qua de facto fruitur [15].

Argumentum ex bono communi adhuc communius est. In tractatione directa problematis, Antoine eo utitur ut suo argumento principali ad stabiliendum jus in famam respectu detractionis [16]. Plerique moderni [17] id similiter adhibent, vel solum vel in conjunctione cum argumento possessionis. Exemplo praesentationis modernae sit textus Noldin-Schmitt:

Jus in famam falsam non directe ex ipso iure hominis desumitur, sed ex inconvenientibus, quae contra bonum commune sequerentur, si passim occultos aliorum defectus publicare liceret [18].

---

rius, S. J., *Institutiones Theologiae Moralis*, ed. 4ª, Romae: Augustiniana, 1900, Pars I, n. 1487; Merkelbach, *op. cit.*, vol. II, n. 423.

[15] *The Catholic Encyclopedia*, New York: Appleton, 1908, « Reputation », vol. XII, p. 776: « Character is a public thing. Such a one therefore is in peaceful possession of the esteem of the community. Granted that this is founded upon error or ignorance as to the actual conditions, still the isolated knowledge of one or other as to the real state of affairs confers no right to take from him the general favourable appreciation which he, as a matter of fact, enjoys ».

[16] Antoine, Paulus-Gabriel, S. J. *Theologia Moralis Universa*, ed. 2ª, Venetiis: Balleoniana, 1741, Tract. de Justitia et Jure, cap. 5, q. 13, r. 1.

[17] E. g., Lehmkuhl, Augustinus, S. J., *Theologia Moralis*, ed. 12ª, Friburgi Brisgoviae; Herder, 1914, vol. I, n. 1415; Vermeersch, Arturus, S. J., *Theologiae Moralis: Principia - Responsa - Consilia*, ed. 3ª, Romae: Gregoriana, 1945, tom. II, n. 555, b; Merkelbach, *op. cit.*, vol. II, n. 169; Sette, *Enciclopedia Cattolica*, « Detrazione », vol. IV, col. 1495.

[18] Noldin, H.-Schmitt, A., S. J., *Summa Theologiae Moralis*, ed. 26ª, Barcelona: Herder, 1945, *De Praeceptis*, n. 643, 2.

Inter haec inconvenientia secutura, haec enumerantur:

> ... officio suo utiliter fungi non posset, omnem auctoritatem amitteret, bono conversationis careret, proxime coniuncti ignominia afficerentur, ipse vero magno praesidio contra maiora vitia privaretur [19].

Haec tria argumenta praecipua (quae, convenientiae gratia, nominari possunt: argumentum possessionis, argumenum boni communis, et argumentum acquisitionis) eadem sunt quae saepe ab auctoribus in variis formis afferuntur, tractando de normis proximis in casibus specificis detractionis. Ita, argumentum acquisitionis adhibetur a nonnullis [20] ad probandum esse contra justitiam revelare crimen olim publicum sed nunc oblitum et emendatum; etiam adhibetur ut ratio cur homo nullum jus habet ad famam extraordinariam [21], nec ad famam fictis virtutibus comparatam [22]. Argumentum ex bono communi adhibetur ad explicandum quomodo revelatio criminis occulti possit esse licita in quibusdam adjunctis [23]; et a Molina adhibetur [24] tractando de criminibus publicatis per injustitiam. Argumentum possessionis solum restringitur fere exclusive ad tractationem directam de domi-

---

[19] *ibid.*

[20] E. g., Laymann, *op. cit.*, lib. III, tract. 3, pars 2, c. 3, n. 8; Roncaglia, Constantinus, C. Matris Dei, *Universa Moralis Theologia ad Usum Confessariorum*, Venetiis: Pitteri, 1749, Tract. 13, cap. 2, q. 9, r. 7; Salmanticensis, Collegii, *Cursus Theologiae Moralis*, Venetiis: Pezzana, 1734, tom. III, tract. 13, cap. 4, punct. 5, sect. 3, n. 62; Antoine, *loc. cit.*, cap. 5, q. 7, r. 5.

[21] E. g., Laymann, *loc. cit.*, n. 4.

[22] E. g., Soto, *op. cit.*, lib. 5, q. 10, art. 2.

[23] E. g., De Lugo, *op. cit.*, tom. I, disp. 14, sect. 7, n. 97; et inter modernos: e. g., Aertnys, J.-Damen, C. A., C. SS. R., *Theologia Moralis*, ed. 13ª, Romae: Marietti, 1939, tom. I, n. 1014; Noldin-Schmitt, *loc. cit.*, n. 650; Tanquerey, *op. cit.*, vol. III, n. 386.

[24] Tom. V, tract. 4, disp. 32, n. 8.

nio; sed etiam illud adhibetur nonnunquam in aliis quaestionibus. Sayrus eo utitur ad probandam illiceitatem ulterioris publicationis in loco remoto criminis, alio in loco, publici [25]; et ita adhibetur ab aliis eandem opinionem tenentibus [26].

Aliud argumentum minoris momenti a Pruemmer [27] et Tanquerey [28] innuitur, qui afferunt hereditatem ut fontem possibilem iuris in famam.

B. *Crisis argumentorum auctorum.*

Omnia argumenta supra data videntur continere difficultates, saltem sicuti ab auctoribus proposita sunt. Quoad argumentum acquisitionis, non est dubium quin valeat eatenus qua extenditur. Sed videtur applicari immediate dumtaxat ad famam totaliter veram, et non ad famam ejus qui crimen verum commisit. Nam, haud dici potest homo meruisse famam quoad aliquam virtutem si actus ejus positivi includunt crimen grave vel peccatum contra illam virtutem.

Praeterea, argumentum illud acquisitionis applicari potest personis relative paucis; et etiam pro majori eorum parte, applicatur tantum ad partem famae suae relative parvam. Quis enim ignorat quam difficile sit probare etiam hominem sanctum exercuisse actus positivos omnium virtutum? Pro parte humani generis longe majori, fama bona est potius res negativa: tantum ut quis

---

[25] Sayrus, Gregorius, O. S. B., *Clavis Regia Sacerdotum Casuum Conscientiae sive Theologiae Moralis Thesauri Locos Omnes Aperiens*, ed. 6ª, Venetiis: Baretius, 1625, Pars II, lib. 12, cap. 6, n. 25.

[26] E. g., Billuart, C. R., O. P., *Summa Sancti Thomae Hodiernis Academiarum Moribus Accomodata*, ed. nova, Parisiis: Palme, 1872, Rom. IV, dissert. 15, art. 2, sect. 5; Merkelbach, *op. cit.*, vol. II, n. 428.

[27] *op. cit.*, vol. II, n. 7.

[28] *op. cit.*, vol. II, n. 36.

non consideretur improbus. Et generatim est haec fama negativa quae peccatis detractionis violatur.

Argumentum *possessionis*, ut ab auctoribus proponitur, videtur praesupponere personam antea habuisse aliud fundamentum juris in famam. Adhibetur argumentum ad monstrandum hominem adhuc retinere jus ad famam, etiam post crimen vel peccatum grave, quia adhuc eam possidet in pace et sine aliorum nocumento. Ita in textu a Laymann supra citato, homo dicitur perdere jus dominii sed retinere jus possessionis. Ideoque praesupponit aliud fundamentum prius, et restat problema prioris fundamenti.

Sed etiam supposito fundamento prius existenti nunc exstincto, non clare videtur possessionem in hoc casu sufficere ad stabiliendum jus strictum. Ita videntur judicare Diana [29] et Lessius loquentes de revelatione in loco remoto criminis alibi publicati, et dicentes talem revelationem esse contra charitatem, non autem contra justitiam. Ait Lessius:

> ... si fama non erat eo perlatura, vel saltem non nisi post longum tempus, saepe erit peccatum mortiferum, si ille ibi erat bonae famae ...
>
> ... quia tunc laedo proximum in re magni momenti, quod merito aegerrime ferrem mihi fieri. Nec refert, quod ille Ius ad famam non habuerit; quia sine cuiusquam iniuria et absque fraude eam possidebat, eaque adhuc diu fuisset fruitus: ergo contra charitatem est, illum spoliare bono nomine; praesertim si nihil commodi proveniat detractori [30].

Insuper objici potest: ablato fundamento juris, cessat jus. Ideoque ablata famae possessione, cessat jus in famam. Sed omnes doctores unanimiter docent detractorem adhuc obligari ad famae restitutionem, etsi fama

---

[29] Diana, Antoninus, *Resolutiones Morales*, ed. Martin de Alcolea, Venetiis: Pezzana, 1698, rom. V, tract. 10, resol. 131, n. 7.

[30] *op. cit.*, lib. 2, cap. 11, dub. 13, nn. 78, 79.

jam perdita est. Eadem objectio urgeri potest contra argumentum boni communis et ibi plenius mox videbitur.

Neque argumentum haereditatis a Pruemmer et Tanquerey propositum [31] videtur sufficere. Ut ab illis auctoribus adhibitur, videtur referre ad haereditatem famae a propriis parentibus meritae. Sed etiam, data non concessa possibilitate talis haereditatis, restat quaestio de jure originali.

Ex argumentis ab auctoribus generatim propositis, remanet solum argumentum boni communis ad fundandum jus ad famam ordinariam. Quod fortasse explicat cur communiter adhibeatur. Sed etiam illud difficultates continet. Sic, D'Annibale, loquens de ejus usu respectu detractionis, ait:

> ... doctrina certa est, ratio difficilis ... Sane Lugo id magis ex eo repetere videtur, quod publicae tranquillitatis et ordinis, immo et delinquentis (ut facilius emendetur) interest, ne occulta crimina sine gravi et iusta causa detegantur. Sed horum alterum solius iustitiae legalis, alterum solius caritatis est [32].

Quae crisis videtur vera, saltem quad primum elementum de publica tranquillitate et ordine, non tantum respectu occulte peccantis, sed etiam respectu non-peccantis. Ex ipso solo quod effectus mali sequerentur contra bonum commune potest constare malitia alicujus actionis, proindeque obligatio illam actionem omittendi vel ex justitia legali vel ex caritate, non autem, uti videtur, ex justitia commutativa [33]. Nihilominus nonnulli auctores hoc ipsum dicere videntur [34]. Si valeret tale argumentum,

---

[31] *locis citatis.*

[32] D'Annibale, Josephus Cardinalis, *Summula Theologiae Moralis,* ed. 5ª, Romae: Desclée, 1908, vol. II, n. 259.

[33] Videtur etiam posse fundare *gravitatem* alicujus obligationis jam aliunde fundatae in justitia commutativa, non autem ipsam *qualitatem* obligationis. Cf. de materia absolute gravi in furto.

[34] E. g., argumentum ut a Noldin-Schmitt propositum, *supra* N. 18.

videretur probare etiam alia peccata ut mendacium, odium, impuritatem, vel etiam nimium rumorem facere, esse contra justitiam commutativam, quod nemo tenet.

C. *Solutio alternativa.*

Si autem nullum ex argumentis ab auctoribus propositis sufficit, quomodo stabilitur jus ad famam in justitia commutativa? In iis quae sequuntur, solutio alternativa proponetur, quae est quasi purificatio argumenti boni communis, eidem adjungens acceptum fontem jurium justitiae commutativae. Quod nullus auctor videtur explicite fecisse, etsi major pars elementorum singulorum invenitur in doctrina doctorum. Non offertur solutio ut unica nec ut de fide, sed solum ut theoria suis principiis nitens, cum spe ut saltem aliquantulum plus lucis afferat problemati obscuro.

Fundamentum ultimum omnium jurium humanorum derivatur ex eo quod Deus creavit hominem ad finem determinatum consequendum, et vult ut homo eum finem consequatur per vitam secundum voluntatem divinam uti cognitam tum per revelationem tum per naturam. Proindeque homo habet jus fundamentale ad vitam suam et ad omne quod necessarium est ad illam vitam conducendam secundum suam naturam. Ejus natura, qua humana, includit ut partem essentialem, characterem socialem. Ergo, homo habet jus fundamentale ad omne quod necessarium est ad vitam socialem ordinariam.

Atqui fama (saltem, fama negativa in quantum non contemnatur sine causa ex parte sua) est necessaria saltem moraliter ad vitam ordinariam socialem. Ergo, homo habet jus naturale ad famam negativam: ut non contemnatur sine causa [35].

Cum principia haec satis certa et evidentia videan-

---

[35] Vermeersch hoc innuit, vocando talem famem negativam *connaturalem*: *op. cit.*, vol. II, n. 555, b.

tur, onus probationis restat in probando utrum talis fama vere necessaria sit ad vitam normalem socialem. Quod etiam evidens videtur; patet enim hominem qui grave damnum famae patitur, simul perdere omnem possibilitatem normalis conversationis socialis, necnon saepe commercialis. Quod utique enumerant multi auctores in presentatione argumenti boni communis, ut unum inter plures effectus malos detractionis [36]. Videtur autem esse punctum essentiale quoad justitiam commutativam; est enim contra ipsum individuum privatum, cum alia puncta, turbatio pacis et tranquillitatis scilicet, uti D'Annibale indicavit [37], pertinent potius ad communitatem qua talem, proindeque ad justitiam legalem. Sola necessitas ipsius hominis privati videtur stabilire jus in justitia commutativa.

Et sic videtur stabilitum jus fundamentale ad famam, saltem quatenus efficit ut calumnia sit violatio justitiae commutativae. Sed quid est dicendum de detractione? Generatim loquendo, homo amittit aliquod jus (vel saltem ejus exercitium) per abusum. An homo ita amittit suum jus ad famam per peccatum grave; seu, estne peccatum grave abusus juris ad famam?

Antequam huic quaestioni respondeatur, bonum est accuratius considerare qualis sit illa ordinaria fama negativa ad quam homo habet jus strictum naturale. Uti visum est, est illa aestimatio generalis aliorum quatenus hominem judicant dignum conversationis seu commercii socialis; vel, ut potius secundum ejus naturam negativam exprimatur, est illa aestimatio generalis habitualis aliorum quatenus non judicant hominem dignum contemptu, seu indignum conversationis socialis. Ideoque homo videtur suo jure ad talem aestimationem abuti, non per

---

[36] Cf. enumerationem a Noldin-Schmitt datam, supra, N. 19, « bono conversationis careret », etc.

[37] Cf. *supra*, N. 32.

omne peccatum grave, sed solummodo per ea peccata quae eum per se et objective reddunt indignum conversationis socialis; i. e., solummodo per ea peccata quae sunt directe contra societatem qua talem, vel quae peccantem reddunt aliis generatim periculosum. Alia peccata non directe contra societatem qua talem nec aliis generatim periculosa, non videntur abusus directus illius aestimationis generalis [38].

Si hoc argumentum non satis suadet, et objicitur: per omne peccatum grave amittitur jus ut probus judicetur (seu jus ut improbus non judicetur), alia distinctio applicari potest. Omnes doctores docent [39] famam posse considerari ut divisibilem; illa, nempe, amitti potest, theoretice saltem, in uno puncto quin in aliis amittatur. Et addi debet; illa amitti potest in uno puncto ad aliquem gradum quin totaliter in eo puncto amittatur. Exempli gratia: si quis fornicationem commisit semel et semel tantum, non ideo est latro, neque potest cum veritate dici fornicator; tale enim nomen implicat habitum et unum solum peccatum habitum non constituit.

Ad maximum igitur dicere potest objector occulte peccantem amittere jus ad solam parvam partem famae suae: scil., jus ut non judicetur homo qui nunquam tale peccatum commiserit. Jus ad famam suam retinet quoad omnia alia puncta; seu, ut videtur melius exprimi, per unum peccatum occultum non contra societatem qua talem nec aliis periculosum, non amittitur jus ad generalem negativam aestimationem ad normalem vitam socialem necessariam.

Hoc argumentum fortasse clarius evadet exemplis. Supponatur ille homo commisisse unicum peccatum fornicationis et fere statim de ea contritionem habere una

---

[38] Potest utique jure suo privari sententia publica judicis vel eo cedere per crimen publicum etc., uti infra videbitur in sectione sequenti.

[39] E. g., De Lugo, *loc. cit.*, sect. 4, n. 58.

cum resolutione emendandi cum spe probabili talem resolutionem implendi. Per tale peccatum, uti videtur, non debet amittere illam aestimationem negativam suorum proximorum quae ei necessaria est ad normalem conversationem socialem. Certum est talem hominem retinere jus ad famam respectu honestatis in rebus pecuniariis, respectu sobrietatis, caritatis et ita porro. Retinet etiam jus ut non judicetur fornicator in sensu habituali. Ad maximum dici potest eum amittere jus ut judicetur homo qui nunquam fornicavit.

Sed supponatur ejus complicem vel alium qui casu cognoscit ejus peccatum, illud publice revelare. Quid sequetur? Si omnes audientes logice et cum caritate judicarent, judicium suum de isto homine reservarent et intelligerent se non plus judicare debere quam illum hominem esse humanum et semel cecidisse. Si ita judicassent, homo retinuisset totam famam ad quam jus retinet, et illam amisisset in uno solo puncto et eatenus solummodo quatenus judicaretur homo qui semel cecidit; proindeque retinuisset aestimationem sufficientem ad vitam socialem ordinariam.

Sed hoc accideret in ordine ideali. Homines considerando ut de facto sunt in realitate concreta cum omnibus effectibus peccati originalis, eventus erit valde diversus. Major pars populi quasi automatice aestimationem suam generalem illius hominis minuet et eum non jam fide dignum proindeque nec dignum conversatione sociali judicabit. Aliis verbis, homo ille amittet longe majorem partem famae suae quam logice deberet. Ad illum excessum amissum habet jus strictum in justitia commutativa. Quisquis, igitur, sciens volens causat illud famae damnum excedens, violat justitiam commutativam et ad restitutionem tenetur.

Supponatur alius casus, scilicet alicujus occulti defectus naturalis; v. g., natalium illegitimorum. Multi auctores explicite notant solas qualitates specifice huma-

nas, proprie loquendo, esse materiam famae; (quod quidem certe verum est de fama acquisita). Sed omnes etiam docent revelationem naturalis defectus esse detractionem et posse esse materiam gravem [40]. Certe illegitimitas nulla culpa est ipsius hominis sic nati, et theoretice, ejus revelatio publica non debet minuere aestimationem generalem talis hominis. Sed omnes bene sciunt quantum talis revelatio possit minuere, et quantum generatim de facto minuat illam aestimationem et ejus hominis opportunitates ad conversationem socialem.

Fortasse adhuc alia distinctio rem amplius clarificabit. Jus ad famam quod ex natura derivat non videtur significare praecise jus ut alii non loquantur de alienis peccatis et defectibus occultis; sed per se videtur potius jus ad ipsam aestimationem generalem negativam aliorum. Detractio, ergo, est peccatum contra justitiam non praecise propter ipsam revelationem peccati vel defectus, sed potius quia causat damnum seu diminutionem illius aestimationis.

Aliquis potuerit objicere statim: si damnum injustum aestimationis sequitur solummodo quia audientes non ita logice judicant ac debent, ipse detractor non videtur causa damni ad famam, sed tantum occasio seu conditio, et audientium levitas erit causa vera.

Ad solvendam quaestionem similem, De Lugo [41] adhibet definitionem classicam causae: id quod influit in esse rei vel actionis. Eandem notionem quaestioni praesenti applicando, audientium levitas videtur potius mera conditio, et narrator videtur causa efficax. Nam, quoad causalitatem, ejus narratio criminis sufficit ad movendum (seu, causandum) populum levem ut minuant aestimationem suam delinquentis. Proprie loquendo, non est eorum

---

[40] E. g., Molina, *loc. cit.*, disp. 26, n. 4.

[41] *loc. cit.*, sect. 2, n. 22, de quaestione utrum detractio sit causa aliorum damnorum quae sequuntur, an mera conditio.

levitas quae *causat* diminutionem aestimationis; haec est potius conditio praeexistens.

Claritatis causa, consideretur analogia physica. Supponamus hominem conari secare eadem securi tum quercum tum pinum. Eadem vis cum eadem securi quae de se non sufficit ad secandam quercum, poterit sufficere ad secandam pinum. Nihilominus, molities pini nequit dici *causa* secationis. Causa efficax restat homo secans, etsi eadem vis cum eadem securi inefficax est in lignum durius. Sic etiam, eadem narratio criminis quae de se non sufficit ad movendos graviores audientes ut aestimationem suam delinquentis minuant, potest sufficere ad movendos audientes leviores. Et semper in memoria retinenda est conditio *ordinaria* hominum in realitate concreta; nam, de facto, quaevis narratio peccati gravis *ordinarie* sufficit ad destruendam vel saltem notabiliter minuendam generalem aestimationem delinquentis.

Hucusque, sperandum est haec puncta stabilita esse: Argumenta ab auctoribus generatim adducta ad probandum detractionem esse contra justitiam commutativam, seu, ad probandum hominem habere jus ad famam in justitia commutativa, saltem ut proposita, non sufficient. Argumentum acquisitionis valet ubicumque applicari potest, sed non videtur applicari posse ad casum ordinarium famae generalis negativae. Argumentum possessionis sine alio titulo non videtur sufficere, saltem ad probandum jus ad famam permanens. Argumentum boni communis, saltem ut generatim proponitur, non sufficit, quia mali effectus actionis contra bonum commune qua tale non probant eam esse contra justitiam *commutativam.*

Solutio alternativa: jus ad generalem famam negativam ex ipsa natura emanat, quia talis fama necessaria est ipsi individuo ad vitam normalem socialem. Revelare peccatum grave vel etiam defectum naturalem, ordinarie talem famam destruit vel saltem notabiliter eam minuit;

quia, de facto, homines ordinarii ita moventur. Ergo, talis revelatio talibus hominibus et causa efficax, etiamsi indirecta, damni famae.

II. Applicatio ad normas practicas

Ut ordo conveniens habeatur in iis quae sequuntur de normis practicis, primo loco in unoquoque puncto praeficietur brevius summarium opinionum praecipuarum doctorum; deinde earumdem crisis sequetur una cum opinione secundum theoriam et principia supra proposita. Generatim loquendo, normae practicae secundum hujus tractationis theoriam cum doctrina practica auctorum plene concordant; relatio autem inter illas normas et ipsa principia saepe diversa erit, ut patet. Praeterea, in quibusdam punctis, opportunum visum est ulteriores distinctiones introducere ita ut doctrina, etiam ab auctoribus proposita, melius sibi consistat, ut statim videbitur.

A. *Normae generales.*

Ut principium practicum generalius, auctores generatim dicunt hominem posse de alienis peccatis vel defectibus libere loqui aliis quibuscumque in quolibet loco sine laesione justitiae commutativae [42], quando illa peccata vel defectus sunt publica, sive *de jure* (per sententiam publicam judicis), sive *de facto* (aut quia delinquens peccavit publice vel de eo se publice jactat, aut quia notitia criminis vel defectus de facto communis est [43]. Ratio ge-

[42] Revelatio potest esse etiam contra charitatem; sed in hoc tractatu, quaestio limitabitur ad quaestionem de justitia commutativa.

[43] Quidam distinctionem triplicem dant: *publicum de jure, publicum de facto* (quod publice committitur vel de quo jactatur) et *famosum* (quod publicum fit per famam). Sed etiam hi auctores postea adhibent generatim distinctionem duplicem.

neratim allata: cum jus in casu proxime fundetur in ignorantia criminis, « per criminis publicitatem amisit ius ad famam » [44], vel, cum in bono communi fundetur, idem bonum commune non jam requirit silentium quando crimen est de facto publicum [45].

Illi principio generali praecipua exceptio: Aliqui [46] dicunt criminis *de facto* publici ulteriorem revelationem in loco *remoto* esse contra justitiam, « nam propter rumores ... nemo ius perdit honoris sui ac famae ... » [47].

Secundum nostram theoriam judicamus problema aliter aggrediendum. Licet loqui de alienis peccatis vel defectibus publice sine laesione justitiae commutativae, quando homo vel jus suum *amittit*, vel eo legitime *privatur*, vel id libere *cedit*.

Delinquens jus suum *amittit* per crimen contra societatem qua talem, vel quod periculum constituit generale [48] ut supra dictum est; jure suo *privatur* per sententiam publicam judicis (non autem ante ipsam sententiam, nisi ex alio capite, uti auctores communiter docent); delinquens dominio suo utens, jus suum *cedit* quando ostendit sua non interesse quis sciat suum crimen: v. c., crimen committendo publice, vel se de eo publice jactando.

Patet secundum casum supra datum exacte equivalere illi quem Auctores vocant *de jure publicum;* et tertium casum, cessionem juris, concordare illi quem vocant

---

[44] Bonacina, Martinus, *Opera de Morali Theologia*, Venetiis: 1687, tom. II, tract. de Restitutione, disp. 2, q. 4, punct. 6, n. 2.

[45] E. g., De Lugo, *loc. cit.*, sect. 5, n. 61.

[46] E. g., Soto, *op. cit.*, lib. 5, q. 10, art. 2; Molina, *loc. cit.*, disp. 33, n. 1; Valentia, Gregorius de, S. J., *Commentarii Theologici*, Venetiis: Prato, 1598, tom. III, disp. 5, q. 17, punct. 2, col. 1081, C.

[47] Soto, *loc. cit.*

[48] Si crimen periculum constituit solis certis individuis, materia est « licitae revelationis criminis occulti » secundum normas infra dandas.

de facto publicum, sed in parte solummodo [49]. Quoad aliam partem illius divisionis, scilicet quod est publicum de facto per famam vel rumorem, videtur opus esse ulteriore distinctione. Nam, si non est publicum rationis ipsius commissionis vel jactantiae, nec per sententiam, est publicum solummodo quia aliquis id occultum sciens, aliis revelavit. Et in hoc casu crimen aut tale est ut per illud delinquens jus suum amittit, (ut in nostro primo casu supra dato) et tunc omnes possunt de eo ubique libere loqui; aut non est tale crimen, et tunc *injuste* publicatur et regitur normis in sectione sequenti tractandis. Nam, si crimen, vel defectus, periculum constituit uni soli vel paucis individuis, illi soli sunt monendi et crimen non est publicandum, uti docent omnes.

B. *Casus particulares.*

1. *Ulterior revelatio criminis injuste publicati.*

Teste Molina [50], opinio communis ante ejus tempus dixit esse illicitum ultra publicare crimen jam per injustitiam publicum. Molina ipse opinatur non esse peccatum in eo loco ubi est de facto publicum [51]. Lessius [52], De Lugo [53] et opinio communior ex eo tempore hucusque dicunt non esse peccatum illud ubique ultra publicare. Argumentum suum desumunt ex suppositione jus fundari in solo bono communi vel ignorantia criminis, et non in aliquo homini intrinseco; proindeque jus cessare ipso facto publicitatis, undecumque veniat publicitas. Sed Bonacina [54] et

---

[49] Seu concordat cum divisione secunda triplicis distinctionis; cf. supra, N. 43.

[50] *loc. cit.*, disp. 32, n. 3.

[51] *ibid.*, n. 8.

[52] *op. cit.*, lib. II, cap. 11, nn. 76, 77.

[53] *loc. cit.*, sect. 5, n. 66.

[54] *loc. cit.*, disp. 2, q. 4, punct. 6, n. 3.

Mastrius [55] bene notant restitutionem famae homini adhuc deberi ex justitia, quod omnes tenent. Ergo, ipsum jus ad famam adhuc remanet; sola famae possessione privatur.

Et cum eis concordat nostra opinio. Si homo infamatur injuste, amittit possessionem famae suae, non autem jus ad illam; jus enim fundatur, non in bono communi, nec in mera ignorantia peccati sui, sed in sua natura humana.

Nihilominus, ad praxim immediatam distinctio facienda est. Cum ipsa narratio criminis sit malum, non in se ipso, sed tantum quatenus damnum affert famae; et cum in casu criminis jam in uno loco publici nulla diminutio notabilis aestimationis sequatur ex narratione aliis in eodem loco qui id per accidens ignorant; talis narratio non erit peccatum, vel saltem non grave. Et hoc videtur valere de illo loco ubi de facto jam est publicum, et etiam de loco vicino ubi notitia certe mox perveniet.

Quoad loca remotiora, subdistinctio videtur necessaria. Ordinarie nullum damnum delinquenti afferet criminis narratio, quia is ibi est ignotus et non illuc venturus; ideoque non erit peccatum. Sed, si delinquens jam est in illo loco, vel illuc probabiliter venturus est, vel est ibi bene cognitus, erit peccatum contra justitiam ibi narrare ejus peccatum injuste alibi publicatum; quia adhuc retinet *jus* ad famam suam.

Bonacina addit qualificationem quae bona videtur; scilicet, crimina « non videntur praesumi facta publica iniuste, nisi constet » [56].

---

[55] Mastrius de Meldula, F. Bartholomaeus, O. M. Conv., *Theologia Moralis,* ed. 3ª, Venetiis: Hertz, 1688, disp. 8, q. 3, art. 3, n. 80.

[56] *loc. cit.*

2. *Revelatio criminis publici oblivione deleti.*

Opinio fere unanimis dicit revelationem criminis olim *de facto* publici sed nunc in oblivionem lapsi esse contra justitiam; quia rerum status nunc eadem est ac ante revelationem, nempe, crimen *de facto* occultum est. Quoad crimina olim *de jure* publica, dicunt auctores communiter, eorum novam revelationem esse contra justitiam quandocumque illa revelatio damnum affert famae postea recuperatae per emendationem et vitam bonam. Contra hanc secundam partem, adversantur Molina [57], De Lugo [58] et Mastrius [59].

Et nihil novi videtur addendum huic opinioni communiori duplici.

3. *Licita revelatio criminis occulti.*

a) *Principium generale.*

Revelationem criminis occulti posse, in quibusdam adjunctis, licitam esse, docent omnes unanimiter. Inter rationes allatas, quidam dicunt in illis casibus delinquentem non posse rationabiliter invitum esse [60]. Alii cognitoinem criminis ut depositum quoddam considerant [61]. De Lugo [62] et multi post eum [63], dicunt jus, cum fundatum habeat in bono communi, cessare quando eidem bono communi serviatur per criminis revelationem.

Quoad conditiones requisitas ut revelatio sit justa, auctores concordant. Generatim enumerantur: 1) intentio bona; 2) causa justa, seu effectus bonus; 3) debita propor-

---

[57] *loc. cit.*, disp. 33, n. 2.

[58] *loc. cit.*, sect. 6, n. 77.

[59] *loc. cit.*, n. 86.

[60] E. g., Bonacina, *loc. cit.*, disp. 2, q. 4, punct. v, n. 1; Valentia, *loc. cit.*, q. 17, punct. 2, col. 1077, D.

[61] E. g., Lessius, *op. cit.*, lib. 2, cap. 11, dub. 8, n. 52; Diana, *op. cit.*, tom. VII, tract. 7, resol. 44, n. 2.

[62] *op. cit.*, tom. I, disp. 14, sect. 7, n. 95.

[63] E. g., Noldin-Schmitt, *loc. cit.*, n. 643, 2, b; n. 650.

inter effectus bonos et malos. Plerique quartam conditionem considerant: utrum cognitio criminis injuste acquisita possit adhiberi in talibus casibus.

Secundum theoriam nostram, praeter casus in quibus peccatum, vel defectus, est directe contra societatem qua talem vel constituit periculum aliis generatim, proindeque jus eo ipso amittitur per crimen, praeter hos casus, jus ad famam non cessat. Quod magis cum doctrina practica Auctorum in hac materia convenire videtur; nam, omnes insistunt obligationi retinendi damnum ad minimum, narrando iis solis quorum interest, et narrando dumtaxat tantum defectus quantum necessarium est ad bonos effectus intentos.

Nihilominus revelatio licita restat possibilis. Nam, cum ipsa narratio criminis non sit intrinsece mala, licite fieri potest: 1) in adjunctis in quibus nullus effectus injustus sequetur; e. g., alicui qui delinquentem certe adjuvabit et qui non perdet aestimationem ejus; vel iis qui hominem nec cognoscunt nec probabiliter cognituri sunt, et qui probabiliter non extendent notitiam criminis cognoscentibus delinquentem; 2) in adjunctis in quibus etiam boni effectus sequentur, modo boni effectus intendantur et mali effectus solum permittantur; et dummodo effectus boni sequantur saltem aeque immediate ex narratione et non mediante effectu malo, seu mediante ipsa diminutione famae; et dummodo insuper proportio adsit inter effectus bonos et malos. Aliis verbis, in his adjunctis erit casus notissimi principii *duplicis effectus*.

Aliud hic videtur notandum: Ex eo ipso quod jus ad famam est relativum seu limitatum, non sufficienter explicatur possibilitas principii generalis licitae revelationis. Nam, jus relativum cedit solummodo juribus contrariis altioris ordinis seu gradus, et non cedit merae utilitati. Jus ad famam certe est relativum et certe cedit juribus altioribus. Ita, cessat quando homo commisit crimen vel habet defectum qui constituit periculum gene-

rale aliis; sed in casibus licitae revelationis criminis occulti propter meram utilitatem vel propter mera commoda positiva, vel etiam ad advertendum damnum individuo imminens, jus non cessat; solum principium duplicis effectus videtur explicare possibilitatem licitae revelationis.

b) *Usus notitiae injuste acquisitae.*

Opinio communis post De Lugo [64] dicit secretum injuste cognitum licite posse revelari propter causam justam, si adsint circumstantiae in quibus secretum licite posset expiscari, si non jam possideretur. Fortasse principium patebit per analogiam: si ego furor aliquam rem nesciens eam esse meam etsi de facto est mea, ego pecco subjective contra justitiam, sed non objective; et simul ac sciam eam esse jure meam, possum licite ea uti ut mea.

c) *Revelatio criminis occulti uni viro prudenti.*

Fere omnes auctores hanc quaestionem tractant. Suppositio casus: non adest causa ex se sufficiens revelationis; revelatio non est specialiter noxia propter relationem inter delinquentem et eum cui revelatur. His suppositis, disputant auctores utrum sit materia levis an gravis, et dividuntur fere aequaliter, majori parte modernorum opinioni liberaliori favente. In hac quaestione considerant plerique solum utrum perdere aestimationem unius hominis sit damnum notabile famae annon. Quod auditor sit *prudens*, includi videtur solum ut excludatur periculum ulterioris revelationis.

Videtur autem distinctio magis fundamentalis dari posse, uti innuitur a Lessio [65]; nempe, revelatio criminis uni viro vere prudenti non minuet aestimationem delinquentis tantum quantum eadem revelatio uni viro ordinario, etiam praescisione facta ab ulteriore revelatione.

---

[64] *loc. cit.*, sect. 7, n. 101.

[65] *loc. cit.*, n. 69.

minueret. Nam, vir prudens judicabit causam magis logice, et inclinabitur potius ut delinquenti prosit quam ut ei obsit.

d) *Revelatio criminis ut auditi.*

Fere omnes auctores tenent eum peccare graviter qui praevidet damnum notabile famae secuturum ex revelatione sua. Sed de uno puncto disputant: quid in hac materia constituit damni famae causam efficacem, et quid meram occasionem vel conditionem falsi judicii aliorum. Nam, secundum omnes, qui est causa efficax damni famae praevisi, peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem; qui est mera occasio illius damni, peccat contra charitatem solam; qui rem ita narrat ut nullum damnum famae praevideri possit, non peccat.

Multi auctores antiquiores [66] tenent revelatorem esse causam efficacem omnis damni famae quod praevidet, sive ejus modus revelandi sive levitas audientium sit ratio credendi. E contra, alii antiquiores [67], S. Alphonsus [68] et major pars modernorum [69] tenent narratorem in secunda suppositione esse meram occasionem difamationis, et levitatem audientium esse causam efficacem.

---

[66] E. g., Sayrus, *loc. cit.*, cap. 6, nn. 15-17; Bonacina, *loc. cit.*, q. 4, punct. 5, n. 1; Salmanticenses, *op. cit.*, tract. 13, cap. 2, q. 6; La Croix, Claudius, S. J., *Theologia Moralis*, Ravennae: Pezzana, 1761, tom. I, lib. 3, pars 2, tract. 6, dub. 2, q. 213, sect. 12; Antoine, *loc. cit.*, q. 6, rr. 1, 2; Elbel, Benjaminus, O. M. Recol., *Theologia Moralis Sacramentalis Tripartita*, Venetiis, 1733, De Restitutione Conferentia 9, sect. 1, n. 239.

[67] E. g., Lessius, *loc. cit.*, dub. 5, nn. 24-28; Molina, *loc. cit.*, disp. 30, nn. 3, 4; Becanus, *op. cit.*, pars 3, tract. 2, cap. 74, q. 4; Laymann, *op. cit.*, lib. 3, tract. 3, pars 2, cap. 3, n. 7; De Lugo, *loc. cit.*, sect. 4, nn. 55-57.

[68] Alphonsus de Ligorio, C. SS. R., *Theologia Moralis*, ed. Gaudé, Romae: Vaticana, 1907, lib. III, n. 978.

[69] E. g., Scavini, Petrus, *Theologia Moralis Universa ad Mentem S. Alphonsi M. De Ligorio*, ed. 4ª, Neapoli: Rossi, 1859, vol.

Sed fortasse alia distinctio melius a quibusdam adhibetur. Nam, secundum argumentum supra datum in prima parte, in ordine causalitatis, narrator videtur vera causa diminutionis famae apud audientes, et eorum levitas potius conditio praeexistens. Distinctio igitur melius videtur reponi in ratione effectus; utrum, scilicet, effectus praevideantur annon; seu, utrum sint effectus ordinarii an effectus per accidens tantum [70]. Ideoque, si homo narrat crimen auditum modo sufficienti ad movendos audientes ordinarios ad minuendam aestimationem delinquentis, sive quia ipse modus narrandi meretur ut credatur, sive crimen tale est ut minima ejusdem suspicio damnum causat aestimationis, sive quia audientes *ordinaria levitate* laborant, narrator videtur causa efficax et peccare contra justitiam. Punctum videtur esse non *cur credant* audientes, sed utrum necne eorum aestimatio delinquentis minuatur ut effectus praevisus narrationis.

4. *Restitutio.*

Omnes auctores docent detractorem teneri restitutione famae ablatae, quia detractio est violatio juris in justitia commutativa.

Haec sententia unanimis nobis videtur probare ipsum jus ad famam restare post amissionem ipsius famae. Nam, si ipsum jus cessaret, ut plerique proponentes argumentum boni communis tenent [71], restitutio non deberetur in justitia.

Quoad modum restituendi, illud est restituendum quod est ablatum. In detractione, ergo, restituenda est

---

II, tract. 7, disp. 2, cap. 2, art. 1, q. 8; Marc, C.-Gestermann, F. X., C. SS. R., *Institutiones Morales Alphonsianae*, ed. 17ª, Lyons: Vitte, 1922, tom. I, n. 1200; Aertnys-Damen, *op. cit.*, vol. I, n. 1013; Lehmkuhl, *op. cit.*, vol. I, n. 1422.

[70] Effectus *per accidens* videtur generatim considerari ut effectus praeter *ordinarie* contingentes, seu qui *praevideri nequeunt*, et non in sensu metaphysico ut praeter naturam causae.

[71] E. g., Lessius, *loc. cit.*, dub. 13, nn. 76, 77.

fama seu generalis aestimatio bona diffamati. Quilibet modus adhiberi potest, qui hanc aestimationem restaurabit. Generatim retractatio non est adhibenda, quia generatim retractatio non est efficax in casibus detractionis. Per se, modus maxime directus erit excusare vel extenuare culpam [72] vel explicare cur audientes non debeant minuere aestimationem suam delinquentis. Modus autem maxime practicabilis restaurandi bonam aestimationem generalem videtur laudare et honorare diffamatum, uti multi doctores indicant [73].

Principia restitutionis erunt eadem ac in omni casu injustae damnificationis bonorum ad quae possessor habet jus strictum in justitia commutativa. Detractor ergo tenetur ad restituenda omnia damna ex detractione secuta et praevisa. Etiam si quis diffamat alium injuste sed in *bona fide*, tenetur restaurare famam si potest sine gravi incommodo. Si non restituit quando facile potest, obligatur ad restitutionem aliorum damnorum ex mora sua resultantium, sed non aliorum damnorum quae forte secuta sunt antequam scivit diffamationem esse injustam.

Omnes item docent restitutionem obligare tunc solum quando justitia commutativa violatur, et non in casibus qui enumerantur ut contra charitatem solam; quod considerandum est secundum ordinem objectivum rerum, et non secundum solam intentionem detractoris.

Praeterea omnes admittunt obligationem restitutionis non obligare ad incommoda notabiliter graviora damno causato. Ratio est quia bonum commune ita requirit et diffamatus esset irrationabiliter invitus si postularet restitutionem.

---

72 Ita e. g., Busenbaum, Hermanus, S. J., *Medulla Theloogiae Moralis*, Venetiis: Prodocimus, 1712, lib. III, tract. 6, cap. 1, dub. 3; Prummer, *op. cit.*, vol. II, n. 197; Jone, Heribert-Adelman, Urban, O. F. M., *Moral Theology*, Westminster, Md.; Newman, 1945, n. 377.

73 E. g., Diana, *loc. cit.*, resol. 66, n. 13.

Omnes etiam admittunt possibilitatem condonationis a parte diffamati, et fere omnes dicunt diffamantem excusari a restitutione si mutuo diffamatur a sua victima, et hic recusat restitutionem. Hoc etiam fundatur in principio injustae damnificationis.

5. *Jus in famam extraordinariam.*

Quidam auctores interrogant utrum homo habeat jus ad famam extraordinariam quam de facto possidet sed non meretur [74]. Et unanimiter respondent negative, quia nullis actibus positivis jus acquisivit.

Quod optime concordat cum theoria nostra; nam, jus naturale ad famam est ad famam solam quae est generalis aestimatio negativa. Jus ad famam extrordinariam veniet solummodo acquisitione eius per actus positivos.

6. *Fama fictis virtutibus acquisita.*

Auctores communiter tenent hominem non habere jus ad illam partem famae quae fictis virtutibus vel falsa scientia comparatur; sed docent revelare ipsam hypocrisim esse revelare peccatum occultum proindeque regi normis generalibus detractionis, seu si ea constituit periculum aliis revelari licite potest; si nemini est nociva illa fama, hypocrisis nequit licite revelari. Ad quam opinionem nihil videtur addendum.

7. *Jus mortuorum in famam.*

Fere unanimis sententia auctorum tenet mortuos retinere jus ad famam suam; ideoque non licere diffamare mortuum; et si quis diffamaverit mortuum (sive ante sive post mortem ejus), eum teneri restituere famam ejus [75].

---

[74] E. g., Molina, *loc. cit.*, disp. 26, n. 5; Laymann, *op. cit.*, lib. 3, tract. 3, pars 2, cap. 3, n. 4; La Croix, *op. cit.*, vol. II, lib. 3, tract. 6, dub. 2, q. 219, n. 3 (n. 1198); et inter modernos: Merkelbach, *op. cit.*, vol. II, n. 424, B.

[75] E. g., Molina, *loc. cit.*, disp. 28, n. 1; Bonacina, *loc. cit.*,

Plerique addunt (et nemo negat) peccatum detractionis contra mortuum, ceteris paribus, esse minus grave quam idem peccatum contra vivum [76].

Etiam fere unanimes sunt rationes allatae. Mortuos retinere jus suum arguitur ex eo quod tale jus reponitur potius in anima quam in corpore [77]; et, etsi pateat animae non jam opus esse fama ut adjumento ad bene vivendum, nihilominus spem famae post mortem posse esse incitamentum forte in aliorum vita; et talis famae causa, homines multa facere et pati [78]. Nihilominus, quia ea non jam est mortuo vere opus, et quia ejus damnum non causat dolorem animae discessae, peccatum certe esse minus, omnes pariter tenent [79].

Secundum theoriam nostram, haec quaestio affert difficultatem. Mortui certe non jam egent illa generali aestimatione aliorum. Adhucne igitur retinent jus strictum ad famam suam?

Fortasse potest dici, ut auctores supra, jus reponi in anima et cum ea superesse. Sed argumentum non suadet, cum cesset fundamentum juris, scilicet necessitas ad vitam socialem. Sed si est difficultas nostra theoriae, aequaliter saltem est difficultas argumenti boni communis ut ab auctoribus propositi. Nam, non videntur sequi speciales eeffctus mali contra bonum commune ex revelatione peccatorum mortui, et certe nulli effectus mali contra ipsum mortuum. Argumentum quod dicit talem fa-

---

punct. 2, nn. 2, 3; De Lugo, *loc. cit.*, sect. 3, n. 44; Wigandt, Martinus, O. P., *Tribunal Confessariorum et Ordinandorum*, Venetiis: Pezzana, 1760, Tract. 8, examen 5, cap. 3, r. 14.

[76] E. g., Molina, De Lugo, *ibid.*, Busenbaum, *loc. cit.*, dub. 2, sect. 13.

[77] E. g., De Lugo, *ibid.*; Roncaglia, *op. cit.*, tract. 13, cap. 2, q. 3.

[78] E. g., De Lugo, *ibid.*; et inter modernos. Lehmkuhl, *op. cit.*, vol. I, n. 1426; Merkelbach, *op. it.*, vol. II, n. 424, C.

[79] E. g., De Lugo, *loc. cit.*, n. 47.

mam post mortem esse incitamentum vivo, non solum non probat jus in justitia commutativa, sed etiam retorqueri potest: melius ad bonum commune est incitamentum ex exspectatione revelationis peccatorum post mortem. Iis qui regulam auream hic afferunt, responderi potest illam esse regulam charitatis, non autem justitiae commutativae.

Patet revelationem peccati occulti hominis mortui posse esse graviter contra justitiam si damnum causat aestimationi superstitum cognatorum, propinquorum, vel institutionum; sed difficultas remanet quando agitur de ipso solo mortuo.

Quaestio fortasse ita solvi potest: Mortuus nullum jus strictum habet ad generalem aestimationem negativam, cum illud jus videtur cessare dissoluto composito humano; sed jus strictum retinet ad tantam famam quantam per actus positivos acquisivit per vitam, cum hoc jus fundetur in actibus voluntatis et intellectus et cum his superest. Hinc, destruere vel minuere quamlibet partem hujus famae acquisitae erit peccatum grave (calumniae, generatim); solummodo revelare peccatum verum quod minuat generalem aestimationem hominis quin minuat famam suam acquisitam, non erit peccatum, saltem contra justitiam.

Et haec sententia bene concordare videtur cum opinione communi de historiae scriptoribus.

8. *De historicis.*

Secundum opinionem communem auctorum moderniorum [80], historici eisdem normis tenentur ac alii respectu detractionis; nam, et ipsi sunt individui privati et nullum officium ex societate de jure recipiunt. Sed gene-

---

[80] E. g., Lehmkuhl, *op. cit.*, vol. I, n. 1426; Vermeersch, *op. cit.*, Vol. II, n. 557, c; Sette, « Detrazione », *Enciclopedia Cattolica*, vol. 4, col. 1496.

ratim scribunt de tempore acto et de viris jamdiu mortuis, et ita applicatio normarum erit aliquantulum diversa.

Cum minus damni fit mortuis quam vivis revelatione peccatorum et defectuum, ratio minor justificat revelationem eorum peccatorum. Ut regula generalis statui potest: quidquid recte pertinet ad historiam publicam justificatur ex generali bono effectu historiae, dummodo nullo modo afficiat viventes et institutiones actuales. Tenentur utique scribere cum bona intentione et non ex voluntate damnum causandi, nec meri « sensationalismi » causa. Debent praeterea dare representationem veram et completam, verum bonum aeque ac malum delineantes de personis et temporibus de quibus scribunt.

Quod revelare peccata viri non semper redundat in suam infamiam, patet ex multis exemplis; v. c., *Confessiones* S. Augustini, ut Valentia bene indicat [81].

9. *De Scriptoribus Ephemeridum.*

Hi etiam eisdem regulis ac alii privati tenentur; sed etiam hi applicationem peculiarem habebunt secundum characterem laboris sui. Secundum auctores modernos qui hujus quaestionis mentionem faciunt [82], possunt describere et judicare omnes res publicas, omnesque actiones officiales magistratuum. Quoad crimina occulta et defectus occultos, nequeunt haec licite revelare sine causa justa; sed ratio sufficiens semper videtur inveniri in revelatione criminum defectuumve occultorum qui candida-

---

[81] *op. cit.*, disp. 5, q. 17, punct. 2, col. 1078, E.

[82] Noldin-Schmitt, *loc. cit.*, n. 652; Merkelbach, *op. cit.*, vol. II, n. 429 sectionem specailem habent de scriptoribus ephemeridum; inter alios qui passim quaestionem tractant et cum his concordant: Arregui, Antonius M., S. J., *Summarium Theologiae Moralis*, ed. 13ª, Westminster, Md.: Newman, 1944, n. 428; Jone, *op. cit.*, n. 374; Sette, « Detrazione », *Enciclopedia Cattolica*, vol. 4, cols. 1496-7.

tos ad officium publicum indignos reddunt. Quidam etiam dicunt [83] ex consuetudine candidati ad officium publicum censentur cedere jure suo saltem quoad omnia quae ad officium illud pertinent.

Publicare rumores incertos qui alios infamabunt est contra justitiam et obligat ad restitutionem, nisi *clare* demonstretur eos esse totaliter sine fundamento et sine confirmatione. Idem videtur dicendum de publicandis accusationibus criminum occultorum quando ita publicantur ut causent suspicionem vel dubium in mente legentium de fide accusati; nam, in memoria retinendum est hominem non amittere jus suum ad famam per crimem occultum nisi per *sententiam* judicis.

Epilogus

Bonum videtur adjungere verbum de relatione inter detractionem et obligationem secreti naturalis. Omnes consentiunt, vel explicite vel implicite, haec duo inadequate identificari; h. e., omnem detractionem esse violationem secreti naturalis, sed non vicissim. Et sic, discernendo quod praeceptum decalogi violetur revelatione secreti naturalis, notat De Lugo esse secundum damnum causatum: utrum sit famae, bonorum fortunae, an integritatis corporalis [84]. Revelare locum in quo aliquis thesaurum suum celat furi qui illum furatur, violat secretum naturale et praeceptum septimum decalogi, sed non est detractio, ut patet [85].

De Lugo etiam distinguit aliud jus ad secretum quod violatur injuste expiscando secreta aliena; e. g. aperiendo litteras [86]. Sed revelatio secreti naturalis cogniti sine in-

---

[83] *op. cit.*, vol. I, disp. 14, sect. 9, n. 147.
[84] *op. cit.*, vol. I, disp. 14, sect. 9, n. 147.
[85] Cf. Molina, *op. cit.*, tom. IV, tract. 3, disp. 3, n. 3.
[86] *loc. cit.*; etiam sect. 7, n. 104.

justitia, est peccatum solummodo quando causat damnum cujusdam generis. Hinc, jus quod violatur aperiendo litteras fortasse melius vocari potest jus ad solitudinem, sed illud est materia alterius operis.

Iosephus Farraher, S. I.

DE MORALITATE ACTUS IUSTITIAE

S. Thomas et communiter theologi designant notabilem differentiam inter virtutem iustitiae et alias virtutes morales. Quaelibet virtus moralis medium tenet inter duo extrema. Sed in aliis virtutibus hoc medium est medium rationis, in sola virtute iustitiae autem hoc medium est medium rei. Attamen bene explicanda est differentia, ne in errorem incidamus. Differentia sic intelligenda non est ac si in aliis virtutibus medium est medium rationis et in virtute iustitiae medium non est medium rationis. Si hoc esset verum, id quod praecipit virtus iustitiae non esset bonum *morale*. Nam bonum morale non est aliud nisi id quod est secundum rectam rationem. Quare cuiusvis virtutis moralis medium non potest esse nisi medium rationis. Sed differentia consistit in hoc, quod aliarum virtutum medium est medium rationis solum, virtutis autem iustitiae medium est medium rationis quod est medium rei. Nam id quod est medium virtutis seu id quod est agendum in materia iustitiae non dependet a statu subiectivo agentis, sed ab aliquo elemento obiectivo, externo et ab hoc solo. Nam actus meus iustus non est actus adaptatus mihi, sed actus adaptatus alteri, actus scilicet quo ipse a me obtinet id quod suum est. Attamen est ratio recta, quae dictat in quo consistat hic actus. Quare medium iustitiae est insimul medium rationis. Virtute iustitiae agens dat non plus nec minus quam ratio dictat [1]. Ratio statuit hoc medium, non autem per comparationem ad conditionem subiecti agentis, sed per comparationem ad alterum. Quid sit medium

[1] Sane, qui dat plus quam iustitia tenetur, non agit iniuste. Sed hoc plus non dat ex iustitia. Iustitia tendit ad hoc quod detur ei id, quod medium se habet inter plus et minus.

temperantiae in manducando dependet a statu corporis personae temperantis; quare vir sanus non laedit temperantiam eodem actu manducandi, quo parvulus eandem laederet. Sed vir qui ab alio mutuo accepit mille libellas, sive sit dives sive pauper, medium virtutis iustitiae pro utroque est idem, scilicet reddere mille libellas. Medium enim iustitiae accipitur per comparationem ad alterum, erga quem iustitia exercetur.

Sunt qui aliam intendunt statuere discrepantiam inter virtutes morales ceteras et iustitiam. In libro, optime confecto omnibusque commendando: « *Il concetto di giuridicità in San Tommaso d'Aquino* », auctore Francesco Olgiati, legimus haec:

« D'altra parte è pacifico altresì che la giustizia, a differenza di tutte le altre virtù, ha questo di speciale e di caratteristico — ed è ciò che la distingue nelle linee essenziali della sua fisionomia — — " hoc specialiter iustitiae praeter aliis virtutibus " — e cioè che le altre attività hanno il carattere di eticità in funzione sempre del soggetto che le compie, mentre la giustizia fa astrazione dall'*animus* col quale il soggetto agisce.

Supponiamo, in una pubblica necessità, l'atto generoso di un ricco signore, il quale offra una forte somma per l'assistenza sociale. E' un atto di virtù? Il problema non può avere soluzione, *se non guardando al suo " animus "*, all'intenzione che ha ispirato la sua elargizione. Se, ad es., unico motivo segreto di essa fu la speranza di un'alta onorificenza da parte del Governo, l'apparenza dell'atto è virtuosa e dice " carità ", ma l'intima sua realtà si riduce ad " egoismo " e ad " ambizione ".

Prendiamo, al contrario, un padrone avaro, che abbia alle sue dipendenze parecchi operai. Al sabato egli paga loro il salario dovuto, ma lo paga per forza, non già per compiere un bell'atto di virtù, ma solo perchè non può farne a meno. Oppure, prendiamo colui che, dovendo restituire una somma avuta in prestito, lo fa

solo per evitare un processo ed una condanna. In questi e altri simili casi noi non esitiamo a riconoscere che la giustizia è salva, appunto perchè la materia di essa è da riporsi solo nell'atto esteriore: " Illud quod est rectum in operibus aliarum virtutum, id ad quod tendit intentio virtutis quasi in proprium obiectum, non accipitur nisi per comparationem ad agentem; rectum vero quod est in opere iustitiae, etiam praeter comparationem ad agentem, constituitur per comparationem ad alium. Illud enim in opere nostro dicitur esse iustum, quod respondet secundum aliquam aequalitatem alteri, puta recompensatio mercedis debitae pro servitio impenso. Sic ergo iustum dicitur aliquid, quasi habens rectitudinem iustitiae, ad quod terminatur actio iustitiae, etiam non considerato qualiter ab agente fit " ».

Quaedam in hac expositione habentur quae non placent; quaedam praecipue quae non videntur veritati consentanea.

Notare primo nos iuvat auctorem in toto suo opere, et etiam in parte relata, uti stilo pulchro, vivace et rethorico, quae sane forma lectori placet et non necessario nocet expositionis securitati! Talis stilus summopere conducere solet ad diffusionem veritatis expositae. Attamen non caret periculis. De patrono avaro scribit: « paga loro il salario dovuto, ma lo fa per forza, non già per compiere un bell'atto di virtù », quod latine sic referendum esse puto: « solvit salarium debitum, sed illud solvit quia non potest non solvere quin alii maiora damna ei sint illaturi; non quia vult peragere actum laudabilem virtutis ». Hic suggeritur et aliqualiter supponitur quod: ut quis agat moraliter bene (ethice) requiritur (si non in materia iustitiae saltem in materiis aliarum virtutum, puta in materia caritatis de qua prius locutus est auctor) ut agat *cum intentione perficiendi actum laudabilem virtutis.* Secus ageret male. Sed hoc non videtur verum. Ut quis virtuose et moraliter bene agat, non requiritur ut intendat pera-

gere actum virtutis laudabilem, ut intendat agere propter virtutem seu exercere virtutem laudabilem. Pauci hoc intendunt, etiam inter bonos christianos. Ut bene et fructuose agat sufficit ut actus eius sit ordinatus ad bonum, quod est obiectum virtutis. Dare pecuniam Titio est actus bonus et virtuosus, si actum hunc ordino ad sublevandam Titii miseriam. Non requiritur ut velim peragere actum laudabilem virtutis. Etiam haec voluntas, haec intentio est bona; sed non pertinet ad essentiam actus boni seu actus virtutis. Homo bene agens est homo qui intendit bonum virtutis, non ipsum actum virtutis in quantum est laudabilis. Patronus qui solvit salarium operariis debitum, quia hoc est « ipsis debitum » et quia « dare cuilibet suum » amat ut bonum et agendum, peragit actum ethicum seu moraliter bonum. Nullatenus requiritur ut agat ad peragendum actum laudabilem iustitiae. Et hoc valet aeque de omnibus virtutibus. Sed contrarium suggeritur et quasi implicite dicitur in verbis modo citatis.

Hoc statuto, agendum est de bonitate morali (ethicitate) actus iustitiae in comparatione cum bonitate morali actuum aliarum virtutum. Mihi non videtur « pacificum » seu ab omnibus admissum quod « iustitia abstrahit ab *animo* quo subiectum agit », saltem in sensu quo Olgiati hanc doctrinam intelligere videtur, ut ex exemplis datis et explicatis apparet. Mihi, dico, non videtur evidens, immo ne verum quidem, quod vir qui restituit summam pecuniae solummodo quia vult evitare ut a iudice condamnetur et compellatur ad restituendum et insuper ad expensas processuales solvendas aliaquae damna, hoc actu peragat actum moraliter bonum seu iustum. Quando Titius apud se dicit: restituo solum, quia volo evitare processum et damna maiora; sequitur illum non habere voluntatem restituendi rem mutuo acceptam, sed voluntatem retinendi hanc rem. Si debitum esset occultum, si dominus rei non posset probare rem esse mutuo datam seu probare obligationem Titii restituendi, hanc

pecuniae summam Titius non restitueret. Quare Titius habet voluntatem contrariam actui iustitiae. Restitutio quam nihilominus facit metu poenarum solum, non est actus moraliter (ethice) bonus. Non est actus virtutis iustitiae et non est actus iustus. Actus iustus et actus virtutis iustitiae coincidunt. Habetur actus amoris proprii: evitare damnum materiale. Si Titius consilium a me peteret dicens: « ego elicui actum voluntatis, scilicet: volo restituere solummodo ut evitem damna maiora; secus non restituerem; peccavi? », respondere deberem: Certe, peccasti. Contra quam virtutem? Contra iustitiam. Quare autem peccavit? Quia voluit non restituere; quia elicuit actum voluntatis nolentis bonum obligatorium, scilicet iustum seu bonum iustitiae. Sed ad aliud bonum obtinendum (bonum materiale, non morale) scilicet evitare processum, pecuniam dedit. Sed pecuniam alteri dare non est eo ipso actus iustitiae. Pecuniam dare *utpote debitam* est actus iustitiae. Hoc autem Titius nolit. Vult pecuniam dare utpote medium evitandi processum. Huiusmodi dare non est actus moraliter onus seu actus iustitiae [2].

---

[2] Nota bene nos hic loqui de homine, qui actum alteri debitum peragit *solo* metu damni aut poenae. Verum est enim quod qui agit sub influxu metus poenae, sed non *solo* metu poenae, sed *etiam* sub influxu metus poenae, bene agat, quamvis non perfecte. Multi homines subeunt influxum poenae seu sanctionis statutae et metu poenarum sustinentur ut remaneant boni et virtuosi. Volunt bonum virtutis iustitiae et propter hoc non furantur. Non autem in tentationem incidunt reiciendi hanc bonam voluntatem influxu duorum elementorum qui concurrunt, scilicet amore boni seu iusti et metu poenarum. Sed in exemplo allato agitur de viro, qui aliquid facit *solo* metu poenae aut damni et absque amore boni; de viro cuius mens his exprimitur verbis: solvo salarium quia secus maiora damna sustinebo; si haec damna non essent pertimescenda, non solverem.

Quare ex doctrina hic propugnata erronee deduceretur nos tenere poenam et sanctiones legi adnexas non collaborare ad conservandos homines virtuosos et bonos.

Ex hoc apparet quod actus virtutum aliarum (e. g. caritatis) et actum virtutis iustitiae non differunt sed conveniunt in hoc quod in omnibus requiritur animus seu voluntas, quae vult bonum virtutis, ut habeatur verus actus virtutis. Quare enim dare summam pecuniae populo afflicto propter propriam glorificationem tamquam unicum motivum esset actus egoismi et dare pecuniam ut evitetur damnum proprium etiam ut unicum motivum non esset actus egoismi sed actus iustitiae, quae est virtus? « Iustitia est salva », exclamat auctor. Quo autem sensu? Virtus iustitiae non est « salva ». Salvus autem seu causatus est effectus materialis ad quem iustitia eiusque actus per se tendit, sed qui per accidens aliquando etiam aliis actibus causatur. Causatus est scilicet ille effectus, qui est materialis aequalitas inter agentem et alterum. Sed hoc non est virtus iustitiae. Nec putes ea quae hic dicuntur de casu iustitiae, non valere de aliis virtutibus, e. g. de exercitio caritatis iam memorato. Caritas salva est, eodem modo ac iustitia; nam populi necessitatibus provisum est sicut aequalitas est inducta. Sed hoc nihil aliud significat nisi quod idem effectus materialis est causatus; non autem *virtute* caritatis aut, in alio casu, *virtute* iustitiae. Item, si Sempronius ingressus est cauponam et proprie ut sabbato precedenti, habet firmam voluntatem se inebriandi, sed post prima exhausta pocula publicae securitatis agentes eum e caupona vi educunt et in carcerem includunt (erronee de aliquo crimine suspectum), estne salva temperantia? Virtus non est salva. Sed sane effectus est salvus. Reapse Sempronius non nimis bibit, non amisit usum intellectus, non nocuit saluti corporali, eodem modo ac iste vir iniustus non omisit dare summam mutuo acceptam, et causare aequalitatem.

Immerito obiiceretur Titium actu suo satisfecisse exigentiis iustitiae, quod apparet ex hoc quod post actum etiam hac mala voluntate positum, ille non tenetur amplius ad restitutionem. Radix propria et formalis obliga-

tionis restituendi seu agendi aliquid ut aequalitas laesa (destructa) reparetur seu iterum instituatur est *inaequalitas*. Quandoque sufficit inequalitas quaecumque independenter a culpa qua est causata; quandoque requiritur inaequalitas culpabiliter inducta. Sed fundamentum seu radix propria est semper *inaequalitas* reapse existens; radix non est defectus virtutis iustitiae. Haec est ratio quare si furatus sum equum Caii, et persevero in mea voluntate iniusta, scilicet tenendi equum, et sive Caius ipse sive amici eius (etiam inscio Caio) educunt equum e stabulo meo eumque reducunt in dominium Caii aut si equus nullo actu humano interveniente ad stabulum Caii rediit, reus sum et reus maneo iniuriae commissae, sed restitutionis obligatio non datur. Nam inaequalitas est iam sublata praeter aut contra meam voluntatem, sed reapse. Quare evanuit radix seu fundamentum obligationis restituendi. Sic etiam actus, quo solo metu processus et damni restituo pecuniam, tollit obligationem restituendi et tamen non est actus iustus seu actus virtutis iustiae.

Immerito etiam appellatur ad adagium, quod iustitia consistit in actibus externis. Iuvat hic nos denuntiare errorem, quo actus humani dividuntur in tres categorias, scilicet in actus mere internos, actus mere externos et actus mixtos. Haec divisio datur ut divisio actus *humani;* sed reapse non est divisio actus humani. Et tamen loquens de ordine morali et de moralitate actuum, moralista non agit nisi de actibus humanis. Actus humani seu actus de quibus agit moralista et iurista dividuntur in duas categorias: scilicet in actus (mere) internos et actus externos. Actus internus, qui etiam sed aliqualiter inutili superfluitate vocatur actus *mere* internus, est actus qui totaliter absolvitur potentiis internis, e. g. intelligere, desiderium, consensus, odium, amor. Huiusmodi actus possunt causare alios actus tamquam effectus externos; sed

ipsi sunt perfecti in eorum genere etiamsi non se manifestent externe. Actus humani externi e contra sunt actus qui natura sua componuntur duobus elementis, elemento scilicet interno, quo eliciuntur a voluntate, et elemento externo, quod est actus potentiae externae, qua actus proprie perficitur. Exempla huiusmodi actus externi sunt occidere, furari, ambulare, eleemosyna, restitutio, damnorum reparatio. Quia est actus *humanus* externus, non potest consistere absque elemento interno seu voluntate sic agendi, voluntate occidendi aut ambulandi. Tamen habetur unus solus actus, e. g. furtum. Voluntas furandi et furtum externum non sunt duo actus distincti, sed sunt elementa componentia unum actum, scilicet furtum. Hic etiam designatur ratio quare non datur tertium divisionis membrum, scilicet actus mere externus. Huiusmodi actus enim non est actus humanus, et sic versaremur extra materiam ipsius divisionis. Qui dividit actus humanos in tres categorias, quarum tertia esset actus mere externus, agit sicut ille qui divisit creaturas intellectuales in angelos, homines et corpora humana. Dicens autem corpora humana versatur extra obiectum divisionis. quia corpus humanum non est ens intellectuale, sed tantum pars eius, scilicet pars hominis. Creatura intellectualis in duas tantum categorias recte dividitur: angelum et hominem.

Haec est etiam ratio quare dici potest: *per se* sumtum qui furatur vult furari et qui vult furari furatur. Si haec duo non inveniuntur simul, hoc est semper per accidens. Qui furatur quin velit, proprie non peragit furtum in quantum est actus humanus, ut habetur in homine qui in perfecta ebrietate clam aufert librum amici sui. Qui vult furari et reapse non furatur, tali modo agit sub influxu causae accidentaliter coincidentis cum sua voluntate, et impedientis eam. Huiusmodi causa potest esse timor poenae aut commoratio coacta in carcere aut defec-

tus materiae quae iam in locum tutum collocata est aut ab alio fure ablata [4].

Ex hisce apparet quare errent moralistae qui docent ad recte agendum seu ad non peccandum sufficere ut quis mere externe peragat quod lex humana, praecipue lex civilis, praescribit. Qui sic docent obliviscuntur actum *humanum* etiam externum per essentiam esse actum qui procedit a voluntate. Vir qui ut iustam et obligantem in conscientia agnoscit legem sibi imponentem tributum iustum et solvit ductus solo motivo: « secus me cogent ad solvendum tributum et gravem mulctam, aut me includent in carcerem », non recte agit seu non satisfacit legi; non observat legem. Huiusmodi vir peccat. Non peccat solvendo tributum. Hoc est luce clarius. Sed volendo non solvere tributum si posset absque damno materiali. Obiicient forsitan dicti moralistae: sed lex non praecipit nisi actum externum. Ergo qui posuit actum externum, obedit legi. Respondeo: lex praecipit actum externum, distinguo: actum externum humanum, concedo; actum mere externum seu non humanum, nego. Res est clara. Lex non potest velle praecipere actum mere externum seu cuius non participat voluntas. Huiusmodi enim actum lex non potest attingere. Lex enim est actus intellectus agentis sub motione voluntatis; est iudicium practicum. Huiusmodi actus, ex voluntate et intellectu procedens, dirigitur ad intellectum et per intellectum ad voluntatem subditi. Subditus intellectu cognoscit legem et cognoscit actum a lege praescriptum ut bonum seu agendum. Quod cognoscitur tamquam bonum seu agendum, proponitur ut

---

[4] Notanda est igitur differentia inter actum (mere) internum proprie dictum, ut intelligere, odio habere, consensum seu complacentiam, et actum internum ratione causae supervenientis et accidentalis, quae facit ut actus ille remaneat pro parte tantum commissus, ut est e. g. voluntas furandi seu velle furari. Huiusmodi actus proprie non est actus internus, sed actus externi pars et quidem pars interna.

sic volunati et tunc homo illud peragit. Solummodo movens voluntatem legislator potest movere potentias exteriores. Quare ordo agendi, ordo regendi, ordo moralis per se exigunt ut *voluntas* subditi velit quod princeps lege praecipit. Solummodo si voluntas sit parata ad obediendum, princeps potest legibus regere subditos. Si subditi nolunt id quod lege praecipitur, ne externe quidem per se faciunt id quod lege praecipitur. Iam enim, diximus supra: *per se* homo facit quod vult et non facit quod nolit. Quod alio modo fit, nonnisi per accidens fit.

Neque audiendi sunt qui notant: sed apparet quod legislator humanus contentus est si actus externe fiat; ad hoc tantum attendit nec plus requirit. Respondemus enim quod vita humana ita est ut homo non possit iudicare de actibus internis nisi per actus externos, quibus ipsi per se manifestant. Legislator humanus debet supponere ut qui agat externe, velit agere. Eodem modo ac agit in casu contrario. Qui externe transgreditur legem ad poenam condemnatur. Scit etiam iudex, qui agit nomine principis, hominem non mereri poenam nisi *voluerit* trangredi legem. Tamen non probat neque tenetur probare hanc voluntatem actui externo adiunctam. Hanc voluntatem admittit ut per se actui externo adnexam. Solummodo si defectus voluntatis actui externo adnexae probetur, iudex absolvit hominem, qui actum mere externum posuit. Princeps non curat de actu interno actui externo adiuncto, est enuntiatio non exacta. Princeps de actu interno curat, sed modo humano. Supponit eum esse conformem actui externo legi conformi. De statu voluntatis autem curat et debet curare in hoc sensu quod status voluntatis internae est societati maxime necessarius. Si omnes cives haberent voluntatem servandi leges solummodo propter rationes proprii commodi seu mero timore poenae aliarumque consequentiarum nocivarum, actum esset de societate eiusque fine seu bono communi. Vita reduceretur ad chaos aut ad ordinem qui sola vi physica seu vio-

lentia servaretur. Hic est ordo homini indignus et intollerabilis, qui neque perdurare potest nec solet [5].

Quae modo dicta sunt et probata nobis praebent elementa necessaria ad statuendum genuinum sensum adagii: ordo iuris aut iustitiae est ordo externus; iustitiae obiectum non est nisi actus externus. Haec vera sunt si recte intelligantur, scilicet de ordine actuum *humanorum* externorum et de actibus *humanis* externis; ita ut non excludatur actus humani pars essentialis interna seu actus voluntatis, qui necessario est elementum componens actus externos. Excluduntur actus mere interni. Solo odio homo non laedit ius et iustitiam, sed caritatem. Solo odio etiam notorio homo non fit reus delicti ab auctoritate humana puniendi. Hic est sensus genuinus celebris adagii: de internis i. e. de mere internis praetor non iudicat. Idem dicitur et valet de Ecclesia; sed tantummodo quando agit vi potestatis suae humanae seu socialis. Nullatenus si agit auctoritate divina ut in exercitio potestatis absolvendi a peccatis [6].

Adagium autem non respicit actus qui per accidens remanent interni quantum ad modum, sed quorum obiec-

---

[5] Non recte loquuntur moralistae (cfr. WOUTERS, *Theol. Mor.*, I, n. 117), qui dicunt legislatorem humanum solummodo indirecte praescribere actus internos, e. g. voluntatem (intentionem) iurandi quando praecipit iuramentum. Nam qui praecipit totum, praecipit eodem modo partes eius essentiales, et voluntas iurandi est pars essentialis iuramenti. Qui praeciperet directe actum mere externum, directe non preciperet iuramentum nec actum humanum.

[6] Etiam mera voluntas non solvendi tributum non punitur a legislatore humano, etiamsi haec voluntas esset notoria. Sed ratio huius rei non est quia voluntas non est legi iustae contraria ideoque peccaminosa; et non iustitiae contraria seu iniusta. Ratio est quia legislator nequit punire actum legi contrarium, quando actus ratione modi imperfecti quo est perpetratus non pertinet ad forum externum seu ad vitam externam. Non omnia quae reapse sunt ordini iuridico contraria, etiam puniri possunt ab auctoritate humana.

tum seu materia est externa. Iustitiam et ordinem iuris laedit et contra iustitiam et virtutem agit peccando qui vult furari etiamsi propter aliam rationem e. g. metu detectionis et punitionis, non furetur. Ipse peccat peccato iniustitiae. Ipse est reus damni illati. Inefficaciter, dicunt recte theologi. Sed notate bene quod tunc intendunt *externe* inefficaciter. Propter hoc non habetur fundamentum obligationis restituendi. Sed interne efficaciter seu realiter iustitia est laesa et lex est violata, sive haec lex sit immediate a Deo statuta (lex divina) sive mediate a Deo, mediante scilicet operatione legislatoris humani posita (lex humana iusta et perfecta in ordine suo seu obligans in conscientia). Sic habetur actus seu peccatum iniustitiae, quod modo perpetrandi, non specie seu obiecto, differt a furto etiam externe commisso.

Quinam vero est sensus verborum S. Thomae, quae Olgiati affert ut confirmet assertionem suam, quam modo erroneam esse demostravismus? Sunt haec verba: « illud quod est rectum in operibus aliarum virtutum, ad quod tendit intentio virtutis quasi in proprium obiectum, non accipitur nisi per comparationem ad agentem; rectum vero quod est in opere iustitiae, etiam praeter comparationem ad agentem, constituitur per comparationem ad alium ... Sic ergo iustum dicitur aliquid, quasi habens rectitudinem iustitiae, ad quod terminatur actio iustitiae etiam non considerando qualiter ab agente fit ».

Prima pars huius periodi iam explicavimus. In virtute iustitiae aliquid habetur, quod non invenitur in aliis virtutibus moralibus, scilicet quod medium rationis statuitur non per comparationem ad solum agentem, sed per comparationem ad alterum [7]. Id quod homo qui a Caio mutuo accepit decem francos, vi virtutis facere tenetur ut agat iuste, est *Caio dare decem francos.* Hoc valet pro divitissimo et pro homine qui praeter necessaria

---

7 Vide supra, p. 31.

ad vitam servandam vix habet decem francos. Ratio est quia medium virtutis accipitur non per comparationem ad agentem, sed per comparationem ad alterum. Huic debitum est accipere pecuniam mutuo datam et hoc est idem in utroque casu. In aliis virtutibus res non ita se habet, uti scimus. Actus quo quis impendit magnam pecuniae summam potest esse idem et tamen in divite est actus virtutis, scilicet magnificentiae et in viro parvae fortunae usus malus bonorum (dissipatio). Nam medium virtutis sumitur per comparationem ad agentem et agentes in casu valde inter se differunt.

Quid vero de secunda parte verborum relatorum? Olgiati committere videtur hunc errorem. Intelligit verba, quae de eadem re agunt (« sic ergo ») de alia re. S. Thomas loquitur de actu virtutis, qui est actus rectus voluntatis (sive solius voluntatis, sive voluntatis cum potentia exteriore). Aliquid dicitur iustum, ait, quasi habens rectitudinem iustitiae et ad hoc, scilicet ad iustum, terminatur actio *iustitiae, etiam non considerando qualiter a agente fit.* Haec ultima verba semper respiciunt doctrinam, quam S. Thomas nunc proponit, designans id quod est proprium virtutis iustitiae in oppositione cum aliis virtutibus et quidem *quantum ad acceptionem medii virtutis.* Nullo verbo agit de alia re scilicet de modo quo voluntas se habere debet, ut habeatur actus virtutis seu actus moraliter bonus. Quae dicenda essent de hac re, nunc non dicit. Sunt eadem pro qualibet virtute et quidem ex natura actus humani, scilicet: ut actus sit bonus seu actus virtutis requiritur ut agens agat voluntate quae movetur ipso bono honesto, ad quod terminatur actio virtutis. Qui nullatenus hoc bonum vult nec hoc bono movetur non peragit actum moraliter bonum seu actum virtutis. Qui solo motivo pigritiae aut luxuriae, ad quam nunc se praebet occasio, evitat ebrietatem aut pecuniam correspondentem pretio rei emptae dat amico

puellae, ut ipsa sit ei benevola, non ponit actum moraliter bonum. Ad actum moraliter bonum, ad verum actum virtutis, etiam iustitiae, plus requiritur quam actus materialiter correspondens medio virtutis. Sub hoc aspectu dici non potest de actu iustitiae quod habeatur « etiam non considerato qualiter ab agente fit ». Haec verba respiciunt alium aspectum actus virtutis, nempe illum aspectum, de quo est sermo in hoc articulo. Non considerato qualiter ab agente fit, scilicet cum proprio incommodo aut damno, cum multa defatigatione, cum dolore corporali ex defectu nutrimenti sufficientis, etc. Huiusmodi dispositiones agentis computantur ad statuendum medium virtutis temperantiae; sed non ad statuendum medium virtutis iustitiae. Sed ad actum cuiuslibet virtutis evidenter requiritur ut voluntas velit bonum huius virtutis. Ad actum virtutis iustitiae ut voluntas agentis moveatur bono, quod est: *dare unicuique suum.* Qui non movetur hoc bono sed solo metu subeundi damna materialia, non ponit actum moraliter bonum nec actum iustitiae. Ex voluntate non mota bono virtutis procedere nequit actus virtutis, quamvis ex ea procedere possit idem effectus materialis, quod alteri est bonum et proprie debitum.

Hic designatur offendiculum, quod theologo aliquando causat periculum in errorem incidendi. Alter obtinet id quod suum est; ordo obiectivus iustitiae est salvus; nihil amplius est agendum aut restituendum aut reparandum. Optime quidem, sed materialiter! Modo scilicet simili modo quo alter obtinet id quod suum est; ordo obiectivus iustitiae est salvus et nihil amplius est agendum, restituendum, reparandum, quia post furtum equi perpetratum et a fure semper voluntate protractum, equus se liberavit et ad dominum suum reversus est. Ordo iustitiae etiam absque actu humano, a fortiori absque actu virtutis restitui potest.

Proprie hodie, cum multi erronea tendentia sunt imbuti intelligendi ius et ordinem iuris ut res mere exteriores, utile visum est mihi haec pressius exponere, ut accurate statuatur in quo iuris sic dicta *exterioritas* proprie consistat et in quo non consistat.

Dr. L. Bender O. P.

MISSIONARII EORUMQUE PRIVILEGIA ET DEC. S. P. "CONSILIUM SUUM PROSEQUENS"

Usque nunc exstant circa quaestionem an Missionarii, de quibus in Art. 13 Statutorum Generalium Piae Unionis Cleri pro Missionibus, actualiter gaudeant etiam privilegiis et facultatibus quorum largitio Associationibus ablata fuit Decreto S. Poenitentiariae « Consilium suum persequens » duae opiniones.

Prima opinio nempe Rev.mi P. T. Lincoln Bouscaren S. J. affirmat in virtute Art. 13 missionarios per privilegium peculiare a S. C. P. F. concessum et a S. Sede confirmatum gaudere omnibus privilegiis et gratiis Piae Unioni concessis etiam illis quorum largitio Piis Associationibus sublata fuit Decreto diei 20 martii 1933, non ut sodales Piae Unionis sed unice uti missionarios. (Cfr. Periodica 1940 p. 192).

Secunda opinio, nempe Revmi P. Ignatii Ting Pong Lee, C. M. F.[1] tenet missionarios esse sodales Piae Unionis ideoque eos non posse amplius gaudere privilegiis et gratiis quorum largitionem Decretum « Consilium suum prosequens » Piis Associationibus abstulit.

Praenotandum est pro majore claritate Decretum « Consilium suum prosequens » non revocasse vel abolivisse facultates et gratias Associationibus concessas, sed solummodo revocasse et abolivisse « *Concessiones* omnes et singulas piis associationibus ... factas, largiendi privatis sacerdotibus facultates et indulta quae sequuntur nempe ... ». Hinc clarum est, revocatas esse Piis associationibus *concessiones talia privilegia largiendi sodalibus suis*, sed privilegia et gratias intacta remanere, ita ut, si in

---

1 Comm. pro Religiosis et Missionariis. Vol. XXX. Fasc. III-IV. pag. 203.

posterum quavis de causa decretum « Consilium suum prosequens » revocaretur, Associationes iterum facultates et privilegia suis sodalibus largiri possent quin necessarium foret talia privilegia de novo a S. Sede impetrare.

His dictis nunc procedimus ad quaestionem, nempe examinandum est an missionarii sodales sint Unionis Cleri pro Missionibus necne, quia tota quaestio circa hoc versatur.

Rev.mus P. T. Lincoln Bouscaren S. J. sicut supra dictum est negat missionarios esse membra vel sodales Piae Unionis dum Rev.mus P. Ignatius Ting Pong Lee tenet eos esse considerandos uti sodales inscriptione aliqua symbolica.

Jam anno 1938 Rev.mus Jos. Creusen S. J. negabat missionarios esse membra Piae Unionis; scripserat enim: « Utrum Missionarii de quibus Art. 13 Statutorum, eo ipso sint membra Piae Unionis et respondimus: NEGATIVE », cfr. Periodica 1938 p. 116.

Hoc responsum logice videtur sequi ex TIT. II *De Sodalibus*, Staturorum. Hic titulus tractat enim Art. 7 de iis qui adscribi possunt Piae Unioni; Art. 8 dat modum adscriptionis; Art. 9 designat onera; Art. 10 prosequitur: « Sodales ordinarii vocantur, qui, praeter caetera Piae unionis officia praestita, statutam a Consilio nationali stipem quotannis solvunt ». Art. 11 « Sodales perpetui, qui, praeter fidelem officiorum observantiam, contributum majus ad hoc a Consilio nationali statutum semel exsolvunt ». Art. 12. Sodales honoris causa sunt Exc.mi Episcopi, nec non S. R. E Cardinales, qui Piae Unioni adhaeserunt.

Art. 13. tandem statuit « Omnes sacerdotes qui actu in missionibus degunt vel valetudinis, senectutis aut obedientiae causa eas relinquere coacti sunt, omnibus privilegiis et gratiis Piae Unioni concessis gaudent ».

Itaque tres categorias sodalium Statuta numerant

nempe: ordinarios, perpetuos et honoris causa, inter quos missionarii minime numerantur. Tam facile fuisset includere missionarios inter sodales honoris causa et ita eos a contributo absolvere, sed auctores Statutorum evidenter conveniens non judicaverunt, missionarios inter sodales adscribere Piae Unioni, quae unice instituta est ad spiritualiter et materialiter ipsos missionarios adjuvandum. Consentaneum autem duxerunt ut missionarii iisdem privilegiis gauderent quibus sodales Piae Unionis, ideoque eos per Art. 13 non ut sodales sed uti missionarios participes omnium privilegiorum et gratiarum Piae Unioni concessorum faciunt, et hoc per concessionem peculiarem.

Clarum ideo mihi videtur Statuta missionarios non inter sodales numerare nec uti tales considerare.

Inspiciamus nunc breviter rationes quas Rev.mus P. Ignatius Lee adducit ad comprobandum missionarios esse membra vel sodales adscriptione quadam in Piam Unionem receptos.

Pro majore commoditate lectoris transcribo partem responsi ejus: « Nunc vero, si canonem 692 attente perlegas, ibi invenies *aliquam receptionem necessarium esse* ad participationem privilegiorum et spiritualium gratiarum alicujus associationis... Prima et *juridica*, ut ita loquar, receptio est regularis in Unionem adscriptio. Altera receptio, quae *de facto* vocari potest, vel *symbolica* si vis, habetur in ipsa muneris missionarii perfunctione. Consentaneum omnino erat ut favores quibus fautores et promotores missionalis operis ditabantur etiam obtingerent ipsis operis apostolici exsecutoribus. Quapropter, factum laboris missionalis in ipsis missionibus, ad fruitionem spiritualium favorum quod spectat, aequivalet adscriptioni. Si vero haec a die peractae inscriptionis computatur, illa, simili ratione, computari oportet a die ingressus in propriam missionem operis evangelici suscipiendi causa ».

Ex supra allaris verbis apparet Rev.mum P. Lee, ad comprobandum opinionem suam recursum habere ad mitigandum Can. 692 addendo verbum « *aliquam* », dicit enim ibi invenies *aliquam receptionem necessariam esse* ad participationem privilegiorum ... alicuius associationis. Fateor me attente perlegisse dictum can. 692 sed minime invenisse verbum *aliquam* vel quid simile quod aliquantulum sensum canonis mitiget. En Can. 692 : « Ad fruendum associationis juribus, privilegiis, indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, necesse est et sufficit ut quis in eam valide receptus sit, secundum propria assiciationis statuta et ab ea legitime non expulsus ».

Si ergo hunc canonem attente perlegis, invenies duo esse necessaria ad fruendum privilegiis etc. alicujus associationis, nempe : 1) validam receptionem et non *aliquam*, et 2) receptionem factam secundum propria associationis statuta. Nunc autem in Art. 8 Statuta modum adscriptionis dant : « Adscriptio fiat sive a Consilio dioecesano, sive a Consilio nationali, sive his deficientibus a Secretariatu Internationali Romae constituto ». Ne verbum quidem de adscritione *de facto* vel *symbolica*, quam proffert Rev.mus P. Lee.

Pergit Rev.mus P. Lee dicendo hanc adscriptionem symbolicam « lucidam obtinere confirmationem ex ipso tenore articuli 13 Statutorum Generalium Unionis Cleri, qui clare facultates favoresque tribuit eis qui actu in missionibus degunt ». Ex art. 13 e contra clare apparet Statuta non intendere missionarios inter sodales numerare, secus hoc dicerent; sed eos uti categoriam specialem considerare quibus consentaneum omnino judicant concedere eadem privilegia et gratias ac fautoribus et promotoribus operis missionalis.

Conclusio ideoque legitima esse videtur : Missionarios a Statutis non uti sodales considerari, quia eos inter sodales non adnumerant; nec ratiocinationem Rev.mi P. Lee approbari posse quia non recte citare videtur

Can. 692 addendo verbum « aliquam » quod dictum Can. mitigat et recursum habet ad adscriptionem symbolicam quae cum Art. 8 Statutorum componi non potest.

Hisce dictis nunc quaeritur ex qua fonte missionari recipiant privilegia et gratias Piae Unioni concessas?

Respondetur: Non a Pia Unione quia haec non potuit nec potest communicare privilegia sua nisi sodalibus valide adscriptis, inter quos missionarii non numerantur. Restat igitur opinio quae tenet Art. 13 missionarios privilegiorum Piae Unionis concessorum participes fieri per privilegium peculiare uti Rev.mus P. Bouscaren S. J. dicit: « non ut membra Piae Unionis, sed ut missionarii, nec vi adscriptionis Piae Unioni, sed vi concessionis ab ipsa S. Congregatione factae et Pontificis auctoritate confirmatae ». Cfr. Periodica 1940 p. 194. Haec videtur esse unica et obvia explicatio Art. 13 Statutorum.

Quae cum ita sint, nempe cum Art. 13 concedantur missionariis privilegia per concessionem specialem et non per tramitem Piae Unionis, sequitur Decretum « Consilium suum prosequens » quod solummodo concessiones largiendi privilegia Associationibus abstulit nullo modo tangere vel afficere privilegia et gratias Articuli 13, pro missionariis eaque integra sicut antea erant, reliquisse. Ideoque vi Art. 13 omnes missionarii sive ante sive post promulgationem Decreti « Consilium suum prosequens » missiones adierunt vel adeunt, vel adibunt, omnibus privilegiis et gratiis unquam Piae Unioni concessis gaudent, etiam illis quarum communicatio praefato decreto piis associationibus ablata est.

Haec opinio doctrinalis certa esse videtur, sed quia nulla declaratione authentica adhuc confirmata est et sunt Auctores qui aliter sentiunt, saltem uti probabilis computari debet [2], itaque tuto adhiberi potest secundum Can.

---

2 Si ita non esset, missionarii (sunt enim multi qui non subsunt SCPF, quique ideoque a suis Ordinariis eas habere non pos-

209 « In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive juris sive facti, jurisdictionem supplet Ecclesia tum pro foro externo tum interno » [3].

Fr. Gerardus Lunter, O. F. M.

---

sunt) ad fruendum facultatibus benedicendi coronas etc. sese deberent adscribere U. C. M. et solvere non tantum stipem S. Poenitentiariae singulis septem annis pro hisce facultatibus, sed etiam singulis annis exsolvere contributum Unioni Cleri pro Missionibus tamquam membra vel sodales ordinarii. Quod quidem contradictio in terminis esset, nempe quod missionarii contribuere deberent stipem Unioni quae primarie ad ipsos missionarios spiritualiter et materialiter adjuvandos instituta fuit.

[3] Cfr. Vermeersch. Epitome Iuris Can. Vol. I N. 322., 7.

DE MATRIMONIO NULLO INTER ABSENTES CONTRACTO

S. C. S. Officii die 16 novembris 1949 Prot. N. 2438 m/49 haec edidit:

« Haec S. Congregatio censet in casu, omissis iuris solemnitatibus, invaliditatem matrimonii declarari posse procedendo per modum simplicis inquisitionis ».

COMMENTARIUM

Canon 1088 requirit praesentiam utriusque sponsi in contrahendo matrimonio sive in propria persona sive per procuratorem, de quo canon subsequens loquitur. Canone igitur 1088 determinatur modus manifestandi consensum ideoque sub capite « de consensu matrimoniali » collocatur in Codice I. C. Nonnulli dispositionem hanc de praesentia sponsorum accensuere capiti « de forma celebrationis matrimonii ». Jamvero secundum can. 1099 § 2 « acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam ». Ergo, sic isti concludebant, sponsi acatholici baptizati neque ligantur canone 1088 seu possunt valide contrahere in absentia, v. g. dum unus coram magistratu civili in patria, alter vero in acie tempore belli coram tribuno militum consensum matrimonialem declarat. Quae opinio contradicit iam regulis interpretationis, praecipue canoni 19, secundum quem leges quae « exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi ». Omne autem dubium quoad acatholicos baptizatos sustulit S. Officium rescripto diei 18 maii - 30 iunii 1949 A. A. S. 1949 p. 427), eos nempe teneri canone 1088 ideoque absentes valide contrahere non posse.

Codex I. C. neque in capite de matrimonii convalidatione neque in libro de processibus considerat matrimonia contracta inter personas absentes. Quaestio igitur orta est, quomodo causae matrimoniales tractandae sint catholicorum vel acatholicorum baptizatorum, qui matrimonium in absentia contraxerunt sine interventu procuratoris. In nullitate tam manifesta et facilis probationis ordinarius processus iudicialis in duabus instantiis videtur plane incongruus. Canon autem 1990 de processu summario, qui est taxative sumendus (Comm. Interpret. 6 dec. 1943 A. A. S. 1944 p. 94), non memorat eiusmodi casus. Quam lacunam legis feliciter S. Officium explevit rescripto diei 16 nov. 1949, ut supra.

Constat igitur nunc procedendum esse ad normam declarationis Comm. Interpret. diei 16 octobris 1919 (A. A. S. 1919 p. 479), quoties agitur de nullitate matrimonii in absentia contracti. Citata declaratio Comm. Interpret. respicit casus, in quibus deest figura externa contractus matrimonialis. Cessat autem praesumptio pro valore matrimonii, de qua can. 1014, quando deest vel serio dubitatur factum celebrationis matrimonii, prout pluries declaravit iam pridem S. Officium velut die 18 dec. 1872 et 24 ian. 1877, Collect. Prop. Fid. n. 1465. Ceterum ad excludendum favorem can. 1014 sufficit certitudo moralis de nullitate, quae excludat dubium prudens de valore (Regatillo, Interpretatio et Iurisprudentia C. J. C. n. 436). Ipse Summus Pontifex Pius XII ita affatus est S. Rotam R. die 3 oct. 1941 (A. A. S. 1941 p. 424): « Nullum tribunal ecclesiasticum ius habet exigendi amplius; sic enim facile laederet ius strictum actoris ad matrimonium ».

Nullus igitur processus requiritur, quemadmodum pro similibus casibus Com. Interpret. die 16 oct. 1919 statuit, sed sufficit simplex inquisitio. Attento canone 20 brevius responsum S. Officii suppleri potest citato accuratiore responso Comm. Interpret. Hinc in inquisitione iuxta

can. 1020 et instructionem S. Congregationis de Sacramentis diei 14 iunii 1941 (A. A. S. 1941 p. 297) instituenda parochus casum resolvere potest, consulto Ordinario, seu proclamare potest nihil obstare matrimonio contrahendo praecedens matrimonium in absentia contractum. Ambae igitur partes ad alias nuptias transire libere possunt.

Ex rescripto S. C. S. Officii ad quod a nobis scripta referuntur:

Limburgi ad Lahnam, die 15 Maii 1951.
Ex aedibus Ordinariatus episcopalis.

Reverende Domine!

Honori mihi duco Reverentiae Tuae infra transmittere Textum rescripti S. Officii d. d. 16 11 1949, de quo R. D. P. Hecht SAC aliqua scripsit in PERIODICA.

Reverentiae Tuae
Addictissimus il Domino

S. C. S. Officii
Protoc. Num. 2438 m/49

Ex aedibus S. Officii, die 16 nov. 1949

Exc.me ac Rev.me Domine,

Litteris diei 6 octobris 1949 Excellentia Tua Reverendissima casum exponebat assertae nullitatis matrimoni celebrati inter acatholicos N. et N.

Haec Sacra Congregatio spem fovet huiusce causae momentum catholico sensu perspectum iri ab unoquoque loci Ordinario ita ut sollicitudo, quam pro sua quisque exercet dioecesi, a communi animarum commodo minime seiungatur.

Ideoque meminerint Episcopi animarum Pastores, tunc pastoralis ministerii opus impleri, si Vicario Castrensi libenter praesentare ac concedere velint nonnullos sibi subiectos sacerdotes, aptis quidem virtutibus exornatos, quibus Ille rite exercere valeat spiritualem militum curam, quos inter unicuique Praesuli nonnullas oves de concredito sibi grege annumerare fas erit.

Minime autem ambigendum quin Ordinarii locorum Hispanicae Ditionis, ea qua pollent navitate, Sanctae Sedis vota et hortamenta adimplere contendant.

Quae si ad rem deducantur confidere libet Hispanicam iuventam, nullo salutis auxilio destitutam, spiritualem profectum in dies suscepturam et civili simul ac christianae societati uberrima quaeque allaturam Pastorum quidem Pastoris divina favente gratia.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 2 Iunii 1951, in festo Sancti Eugenii Papae.

✠ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen, et Mandelen.,
a Secretis

L. ✠ S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

4 - Sacra Congregatio de Religiosis

(*AAS.* XXXIII [15 Nov. 1951] p. 806)

DECRETUM

APUD S. CONGREGATIONEM DE RELIGIOSIS « STUDIUM » CONSTITUITUR

« Quod numquam ecclesiasticarum rerum memoria factum esse recenset, nunc primum Sodalitates, in quas qui cooptati sunt suae veluti metam evangelicam absolutionem perfectionemque sibi praestituunt, in tam celebres coetus coaluerunt, quemadmodum postremis hisce diebus contigit, ut de communibus utilitatibus cogitata librarent consilia. Quod ut efficeretur, iudicio Nostro matura tempora omnino requirebant » (Pius XII, Allocutio diei 8 dec. 1950 Conventui generali ex universis religiosis Ordinibus, Congregationibus ac Societatibus Institutisque saecularibus, Romae habito) [1].

Solemnis ille Conventus, qui *Congressus de Statibus perfectionis* appellatus fuit, vota quaedam ad nostris temporibus accommodatam renovationem inducendam ordinata, emisit et S. Congregationi de Religiosis exhibuit. Haec vota S. Congregatio libenter excepit, eaque peritis adhuc examinanda tradidit qui modum ea exsecutioni mandandi suggererent et viam qua incedendum erit demonstrarent. Inter ea vero quae communi omnium plausu recepta fuerunt et enixe S. Congregationi commendata ut ipsa SS.mo D. Nostro pro approbatione exhibere dignaretur, illud eminet quod ita breviter perstringi potest :

« Ad exemplum *Studiorum,* pontificia auctoritate apud aliqua Romanae Curiae dicasteria institutorum, -- quae maximo cum fructu alumnos in rebus propriis solide

---

[1] *A. A. S.*, 1951, p. 27.

et practice instruunt atque ad officia seu munera correlata iure riteque exercenda praeparant, — *Schola practica* rationi vitae religiosae plene respondens apud S. C. de Religiosis legitime instituatur. Ipsa ita ordinari deberet, ut, tam tyrones qui in Urbe studiis academicis aliisque superioribus vel specialibus incumbunt, quam illi qui negotiis agendis tractandisque, diversis educationis ministeriis, officiis et muneribus regiminis destinantur, secure et practice instrui exercerique possint: 1) circa S. Congregationis competentiam, stylum, praxim, procedendi rationem, et circa suorum documentorum, actorum, formularum vim ac potestatem; 2) circa S. Congregationis iurisprudentiam, circa Codicis iurisque vigentis usualem interpretationem securamque applicationem; 3) denique circa Religionum, Societatum, Institutorumque ius privatum paratum, ut optima quaeque a S. Congregatione prolata ob oculos ponantur in illis omnibus quae ad statum et constitutionem, ad educationem religiosam clericalem apostolicam, ad regimen, ad ministeriorum demum exercitium spectant ».

Haec profecto S. Congregatio multum conferre autumavit auspicatae renovationi procurandae huius *Studii* seu *Sholae practicae* creatio; proindeque in Audientia diei 8 Ianuarii currentis anni E.mus tunc Card. Praefectus Clemens Micara Religiosorum Conventus vota et desideria Ss.mo praesentavit, Qui eisdem benigne annuere dignatus est.

Quapropter, vi praesentis Decreti apud S. Congregationem de Religiosis *Studium* constituitur, quod omnibus clericis sive religiosis sive saecularibus patebit. Cursus lectionum et exercitationum spatio biennii absolvetur, quo rite peracto speciale diploma conferri poterit, cui si casus ferat, speciales effectus attribui valebunt. Candidati haec documenta exhibebunt: Religiosi licentiam proprii Superioris Generalis; saeculares tum licentiam proprii Ordinarii tum « Nihil obstat » Vicarii Urbis; omnes

autem peculiare aliquod publicum testimonium specialis in scientiis sacris competentiae vel studiorum ad eam sibi comparandam.

Haec infrascriptus Secretarius S. Congregationis in Audientia diei 23 Octobris 1951 SS.mo D. N. Pio Pp. XII retulit, Qui ea approbare dignatus est et publici iuris fieri mandavit.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 23 Octobris a. 1951.

ARCADIUS LARRAONA, C. M. F., *Secretarius*

L. ✠ S.

Ioannes B. Scapinelli, *Subsecretarius*

5 - Sacra Romana Rota

Coram R. P. D. ARCTURO WYNEN, Ponente.

VICENTINA

NULLITATIS MATRIMONII

Sententia Definitiva diei 17 februarii 1951.

1. — Die 11 martii 1943 Maria ... a Summo Pontifice imploravit Commissionem Pontificiam, ut sua causa matrimonialis iam in prima instantia a S. Rota cognosci et definiri posset. Qua Commissione die 13 maii 1943 obtenta, mulier die 28 junii eiusdem anni supplicem porrexit N. S. Auditorio libellum, quo suum matrimonium accusavit nullitatis ob impotentiam mariti « quia hic carebat utroque testiculo ». Partibus et nonnullis testibus excussis, duo periti et peritior constituti suas relationes exhibuerunt, in excussione orali confirmatas. Die autem 26 aprilis 1948 prodiit sententia Rotalis, qua declaratum

est non constare de viri impotentia matrimonium dirimente.

Ab hac sententia patronus actricis appellavit ad proximum Turnum Rotalem, et eo instante alter peritior constitutus est. Praeparatione causae finita, hodie quaeritur: « An sententia Rotalis diei 26 aprilis 1948 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

IN JURE

2. — Can. 1068, § 1, interpretatus est jus naturae, vi cuius impotentia coeundi, eaque antecedens et insanabilis, matrimonium dirimit. Haec autem impotentia habetur in viro qui incapax est ad perficiendam copulam perfectam, seu qui inhabilis est ad penetrandum in vaginam mulieris et ad effundendum in ea semen testiculare; si quid horum igitur deest, et si is defectus celebrationem matrimonii antecesserit neque sanari possit, vir laborat impotentia coeundi, in sensu canonico.

In § 2 autem eiusdem canonis declaratur matrimonium non esse impediendum, « si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio juris sive dubio facti ». Si nempe agatur de dubio (utique positivo) juris ob incertitudinem doctrinae, ne a S. Officio quidem sublatam, vel de dubio facti quod practice in concreto solvi nequeat ne a medicis quidem, nemo a contrahendo matrimonio arceri potest, quia « jus *naturale* ad matrimonium est *in possessione,* donec de contrario *certo* constet » (Wernz-Vidal, *Jus can.*, vol. V, n. 223, V), seu quia certum jus contrahendi non tollitur incerto quodam obstaculo.

Canonis 1068 § 3 denique statuit: « Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit ». Sterilitas ab impotentia generandi ordinarie eo distinguitur, quod illa sit incapacitas perpetua ad generandum, haec autem temporanea quoque esse possit. Sterilitas habetur v. g. in

senibus, qui carent semine fecundo, licet rarissime contrarium contingere Auctores referant. Distinctio inter impotentiam coëundi et impotentiam generandi, sive haec perpetua sive temporanea sit, manifesta est, ideoque in sana doctrina et in jurisprudentia ecclesiastica omnino tenenda; solummodo prima, non altera, matrimonium ipso naturae iure dirimit.

3. — Cum vir conventus in causa praesenti fassus sit se saepe in vaginam uxoris penetrasse et in ea seminasse, in casu unice inquirendum est, utrum necne vir capax sit ad producendum semen testiculare idque effundendum in vase femineo. Nam si uterque testiculus aut omnino deest aut definitive atrophizatus est, patet semen testiculare produci non posse; et si viae spermaticae absolute et irreparabiliter occlusae sunt, semen forsitam productum ad extra eiaculari nequit; tam in uno quam in altero casu vir proclamandus est impotens ad coeundum, in sensu canonico, seu inhabilis ad perficiendam copulam quae *per se* sit apta ad prolis generationem. Attamen nullatenus inquirendum est, an vir, qui penetravit et intra vas femineum seminavit, *de facto* praeditus fuerit semine in testiculis elaborato: nam in admittenda vel neganda impotentia perpendenda non sunt quae *per accidens* evenerint, id quod ex infra exponendis adhuc clarius apparebit.

4. — In sententia diei 25 aprilis 1941 coram R. P. D. Wynen (vol. XXXIII, dec. XXVIII, n. 5, p. 288) plures adducti sunt Auctores, asserentes non posse proclamari uti scientifice certum, quod testiculi non elaborent ullum liquidum. Sententia appellata diei 26 aprilis 1948 coram R. P. D. Teodori ad rem alios duos adducit Auctores, quorum unus, Busquet (apud Roger et Binet, *Traité de physiologie normale et pathologique,* vol. XI, p. 61), scribit: « Cet organe (scl. « le testicule ») fournit, en même temps que les spermatozoides, un liquide de couleur très

légèrement ambrée »; et alter, Chiaudano (*La sterilità da causa maschile,* Casale Monferr. 1932, p. 28 s.), exponit: « La puntura del testicolo è entrata nella pratica per stabilire la funzionalità testicolare ... nonchè per assicurarsi che la spermatogenesi avviene ... Si sarà ottenuto una goccia e anche due di liquido che ... si sottoporrà all'esame microscopico a fresco. Se il liquido contiene spermatozoi completi, ben formati, si conclude per la funzionalità della ghiandola ».

Palmieri (*Medicina Legale Canonistica,* Città di Castello 1946, p. 89 s.) animadvertit: « L'esistenza di liquido nei tuboli seminiferi, affermata dal Busquet ... e dal Chiaudano ..., è stata contestata dal Boldrini (*Atti del VI Congresso Italiano di Medicina Legale,* Milano 1935); *probabilmente* (ergo non: certo) — dati i metodi di prelievo — si tratta di materiale non elaborato dalla ghiandola testicolare, ma proveniente dai vasi ». Prof. La Cava, peritior a Nobis constitutus, in sua relatione citavit Viale (*Compendio di fisiologia umana,* Napoli 1931, p. 21), qui ad rem haec tradidit: « Le cellule che costituiscono i diversi tessuti del nostro organismo non si trovano in diretto contatto con l'aria, ma sono immerse in un liquido chiamato *liquido interstiziale* dei tessuti od anche ambiente interno dell'organismo. Le cellule organiche vivono in questo liquido da cui traggono le sostanze nutritive e in cui versano i prodotti del loro ricambio ... Per regolare i caratteri del liquido interstiziale serve il sangue, che con esso sta in rapporto indiretto, attraverso gli endoteli vascolari ». « Solo in questo senso, dicit ipse Peritior, noi possiamo ammettere la presenza di liquido nel parenchima del testicolo propriamente detto ». In supra citata sententia anni 1941 nos e contra citavimus Rauber-Kopsch, qui scripsit: « Le parti del corpo cellulare degli spermatidi, che non vengono adoperate, ... forse si scompongono e forniscono una parte del liquido che si trova fra gli spermi » (vol. XXXIII, p. 290).

Quidquid est, non spectat ad Nos Judices solvere hanc quaestionem, in biologia moderna adhuc disputatam.

5. — Uti iam annotavimus, impossibilitas producendi semen testiculare est una ex causis impotentiae viri. Eiusmodi autem impossibilitas facile cognoscitur ex absentia vel definitiva atrophia utriusque testiculi. Si quis vir, exstante saltem alterutro testiculo sano, nihilominus filios non procreat, sunt qui supponant impotentiam eamque probare contendant examine liquidi a viro eiaculati. Hoc autem liquidum eiaculatum « è costituito normalmente da pochi cmc. di materiale viscoso ... che proviene essenzialmente dai testicoli, ma lungo le vie che esso percorre per giungere all'esterno incorpora il secreto di altre ghiandole, e in particolar modo della prostata. Tale molteplici origine spiega perchè anche nei castrati si ha l'eiaculazione di un liquido, nel quale però non si riscontrano gli spermatozoi, che costituiscono la parte fecondante dello sperma » (Palmieri, *Medicina Forense*, Città di Castello 1943, ed. 2 p. 436).

Examen vero huius liquidi eiaculati esse *inutile* ad demonstrandam impotentiam viri eiaculantis, ostendi potest secundum *varias hypotheses* sequentes.

6. — *De necrospermia.* Audiantur in primis diversi Auctores, qui necrospermiam eiusque obscuritates describunt. « E' a ricordarsi — scribit Mangiagalli che i nemaspermi possono esistere e non essere dotati di movimento, e poichè è condizione che indica la vita dei nemaspermi e la loro capacità di funzionare, la mancanza sua viene appunto chiamata *necrospermia* (*Trattato di ginecologia,* Milano 1930, vol. I, p. 722).

« E' concepibile anche — animadvertit Cevidalli — una sterilità per mancanza di attitudine fecondante degli spermatozoi, sia per ragioni ad essi intrinseche, sia perchè danneggiati o uccisi da anormali secrezioni delle

ghiandole genitali accessorie (prostata, glandole del Cowper, glandole uretrali, e le stesse vescichette spermatiche che debbono considerarsi appunto più come organi secernenti che come serbatoi, al contrario di quanto ammettono molti autori). Tali alterazioni proprie dello sperma sono tuttavia poco studiate » (*Compendio di Medicina Legale*, ed. 2, Milano 1928, p. 277).

Adhuc maioris momenti sunt quae Palmieri tradit: « Nè ci si può limitare ad esigere la semplice presenza degli spermatozoi, quando sappiamo che per assicurare la capacità fecondante dello sperma, occorre altresì che essi siano vivi, ben conformati, etc. ... Neppure la dimostrazione degli spermatozoi vivi potrebbe a stretto rigore considerarsi esauriente, dacchè le moderne ricerche biometriche hanno posto in rilievo che la capacità fecondante può mancare per anomalie morfologiche degli spermatozoi, ovvero per modificazioni fisico-chimiche, ancora non perfettamente chiarite. D'altra parte la stessa immobilità dei nemaspermi non sarebbe in ogni caso un segno certo della loro morte, potendosi attribuire, oltrechè ad una cattiva tecnica dell'indagine, ad una *fase temporanea di riposo;* certo la necrospermia è una condizione estremamente rara e l'immobilità degli spermatozoi freschi starebbe quasi sempre a denotare una paralisi transitoria della cinetica, per variazioni della temperatura, brusche oscillazioni del pH ambientale, modificazioni della pressione osmotica, etc. E' legittimo peraltro il rilievo che — trattandosi di materia tuttora scientificamente fluida — sarebbe azzardato il richiederne l'applicazione nel campo giudiziario. Si verserebbe difatti, almeno per ora, in uno di quei casi dubbi, nei quali *standum est pro valore matrimonii,* can. 1014 » (*Medicina Legale Canonistica,* p. 88 et 90).

Cum inter medicos, qui ex liquido eiaculato et inspectioni microscopiae subiecto potentiam alicuius viri erui posse praetendunt, sint qui ad hanc potentiam con-

stituendam postulent nemaspermata eaque viva, ante omnia ex Auctoribus citatis apparet illorum medicorum studium esse inane et inutile. Siquidem nemaspermata, quamvis sub microscopio mortua esse videantur, ad hunc statum immobilitatis potuerunt pervenire non solum ex rationibus intrinsecis, sed etiam durante transitu a didymo ad extra per abnormes et nocivas secretiones glandularum accessoriarum, per quas transire debent; insuper agi potest de morte apparenti, seu de statu quietis vel de paralysi temporanea; denique nemaspermata non raro formam habent abnormem et pathologicam (cfr. Perrando, *Manuale di Medicina Legale*, ed. 3, Napoli 1940, vol. I, p. 316, ubi 12 imagines eiusmodi formarum oculis subiiciuntur), quin exacte sciatur, quaenam ex eis novam vitam producere non valeant. Quare vera aut apparens necrospermia non potest esse signum, quod agatur de impotentia quae ceteroquin a doctrina canonistica nunquam uti impotentia coeundi matrimonium dirimens, sed dumtaxat uti impotentia generandi acceptari posset. Ideo profecto « sarebbe azzardato il richiederne l'applicazione nel campo giudiziario » Ecclesiae (Palmieri supra citatus).

7. — *De oligospermia.* « Anche la oligospermia — refert Mangiagalli, loc. cit. p. 723 — merita brevi considerazioni. Tale espressione viene generalmente adoperata a indicare la scarsa presenza di nemaspermi nello sperma, ma è adoperata anche ad esprimere una quantità esigua di sperma, la quale può contenere quantità proporzionale di nemaspermi ... I fatti fisiologici sopra ricordati (scl. « quando si pensi che un solo nemaspermo pratica le fecondazione fisiologica e al numero enorme di nemaspermi contenuti in una eiaculazione, calcolati da Lode a 226 milioni ... ») non escludono l'importanza, dal punto di vista della fecondazione, di una certa quantità di sperma, poichè un piccolo strato di seme, applicato e scorrente lungo la parete vaginale, può subire difficilmente

l'azione del secreto acido vaginale, mentre se versato e contenuto in grande quantità, una parte del seme può sfuggire a tale azione e colle sue cellule seminali intatte e non indebolite porsi a contatto e mescolarsi col muco cervicale che esercita su queste un'azione chemiotossica ».

Si proinde testiculi alicuius viri, etsi habiles ad semen producendum, tamen minores sunt quam in aliis viris esse solent, tunc etiam quantitas seminis producti, ideoque et nemaspermatum, non est tanta ac in aliis viris, qui testiculos normalis magnitudinis habent. Exinde autem, iuxta Mangiagalli aliosque Auctores, facile fieri potest, ut iste minor numerus nemaspermatum in transitu ad organa feminea interna ab acido vaginali penitus destruatur et propterea ovulum femineum haud fecundetur. Quare iterum: inutile est, liquidum eiaculatum talis viri examini microscopico subiicere, quia absentia fecundationis in casu non dependet a defectu seminis producti, sed ab exiguo numero nemaspermatum.

8. — *De azoospermia.* Ascarelli (*Compendio di Medicina Legale,* Roma 1924, p. 653) ad rem scribit: « L'attitudine alla fecondazione, che s'inizia con la pubertà, permane nella virilità, e decresce fino a scomparire nella vecchiaia. Ma come non si è potuto delineare il momento preciso della sua comparsa, così non possiamo delineare quello della sua scomparsa. Certo però, da numerose osservazioni risulta che l'azoospermia si presenta in media verso i 60-70 anni; ma l'esperienza dimostra che essa può prodursi anche prima di questa età, mentre qualche volta si trova liquido spermatico ricco di spermatozoi anche in vecchi di 80 anni e forse più ». Similia habent plus minusve omnes Auctores. Quamvis non desint casus rarissimi, in quibus viri in senectute prolem generaverunt, tamen experientia cotidiana docet senes non amplius posse procreare filios, et quidem ob defectum fecundi seminis.

Nihilominus Ecclesia senes semper ad contrahendum matrimonium admisit, neque unquam, non obstante eorum aetatem decrepita, iis prohibuit usum matrimonii. D. Thomas docet: « Senes, quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam. Et ideo conceditur eis matrimonium, secundum quod est in remedium, quamvis non competat eis secundum quod est in officium naturae » (*Summa Theol., Supplem.*, quaest. LVIII, art. I, ad tertium). Et Sanchez dicit: « Nunquam auditum est (Ecclesiam) dissolvisse aliquod coniugium ratione sterilitatis: imo passim admittit senes ad illud ineundum, cum tamen eorum semen constet esse sterile ... Etsi id matrimonium frustretur fine primario, qui est prolis generatio, consequitur tamen finem secundarium, nempe satisfacere concupiscientiae vera copula habita » (*De Matr.*, lib. VII, disp. 92, n. 26). Similiter loquuntur omnes Canonistae, tam antiqui quam hodierni.

Jamvero, si senes, qui non amplius producunt semen fecundum, ob defectum scl. nemaspermatum (exceptiones rarissimae ab Auctoribus adductae possunt forsitam destruere certitudinem mathematicam, sed non certitudinem moralem), sine difficultate ad celebrandum matrimonium admittuntur, hoc manifesto demonstrat Ecclesiam non exigere ut viri capaces sint reapse producendi nemaspermata. Et si id non exigit in senibus, non est ratio id postulandi in aliis viris matrimonium contrahentibus. Si vero uterque testiculus aut prorsus deest aut irreparabiliter atrophizatus est, vel si viae spermaticae definitive occlusae sunt, tunc utique vir cuiusvis aetatis a celebrando matrimonio arcetur.

Si aliam ob causam semen fecundum non producitur, matrimonium non dirimitur; nam obiectumm formale contractus matrimonialis non est procreatio filiorum, sed actio humana *per se* apta ad prolis generationem, licet haec actio per accidens effectu careat, seu « licet forte

eadem copula ob aliquod particulare accidens senectutis, infirmitatis, etc., sit infecunda etiam necessario et absolute » (Gasparri, *De Matr.*, ed. 1932, vol. I, p. 318). Quamvis autem ob deficientia nemaspermata in certis casibus finis primarius matrimonii obtineri nequeat, tamen remanent semper fines secundarii matrimonii, praesertim sedatio concupiscientiae, quae etiam ex copula coniugali infecunda obtineri potest. Per se autem patet fines secundarios matrimonii fini primario esse subordinatos; cfr. Decretum S. C. S. Officii diei 1 aprilis 1944 (A. A. S., XXXVI, p. 103) et Sententia Rotalis, *Romana*, 22 januarii 1944, n. 18 (A. A. S., XXXV, p. 187).

9. — In nullo proinde casu supra adducto prodest liquidum eiaculatum subiicere examini microscopico, ut eruatur, an aliquis vir praeditus sit semine fecundo: sive nemaspermata iam in dydimo vel in transitu ad extra mortua sint vel videantur; sive viva quidem sint, at tam pauca ut humore vaginali necentur; sive omnino desint. Qui defectus non obstant valido matrimonio. Siquidem matrimonium pro hominibus omnium populorum et temporum a Deo Creatore institutum est, neque celebratio validi matrimonii dependere potest a quovis examine microscopico liquidi eiaculati; tunc tantum matrimonium excluditur, quando externe et certo constat virum aut neutrum habere testiculum qui *per se* aptus sit ad producendum semen, aut definitive occlusas habere vias spermaticas; etenim amandanda sunt quaecumque media extraordinaria eaque inutilia ad examinandum liquidum eiaculatum.

Neque *oligospermiam* neque *necrospermiam* certo constituere impedimentum impotentiae, quod impediat celebrationem validi matrimonii vel ob quod declarari possit nullum aliquod matrimonium iam contractum, docet etiam cl. Vermeersch, scribens: « Suntne impotentes viri, qui semen aspermaticum fundunt, quales sunt qui

testiculos servarunt minimos, similes parvis pisis: id non plane constat, quamvis S. Rota affirmanti sententiae semel saltem adhaeserit. Perinde dicas de eo qui mortua tantum emittit zoospermia » (*Theol. Moralis*, ed. 3, vol. IV, n. 47). A fortiori igitur impotentia coeundi in sensu canonico abest, si nemaspermata, quamvis viva, sed pauca ob oligospermiam, humore vaginali mulieris necentur. Idem valet secundum communem theologorum doctrinam et continuam Ecclesiae praxim de *azoospermia* senum, qui morali certitudine nemaspermatibus carent, sicuti supra iam dictum est. Siquidem senes absque ullo examine liquidi eiaculati dicendi sunt potentes, si seminis organo productivo et facultate id eiaculandi praediti sunt, seu in viris contrahentibus sufficit *potentia* producendi et eiaculandi semen, etsi haec potentia quavis de causa in actum non transibit seu novam vitam procreare nequit. Remanet ergo conclusio de inutilitate examinis liquidi eiaculati.

10. — Tale examen insuper est moraliter illicitum et turpe. Sane, si examen eiaculati institui nequit quin praecesserit operatio iuxta Theologiam Moralem graviter illicita, et ipsum examen fit illicitum. Ita autem est in casu, in quo semen examinandum procuratur per turpem masturbationem, ad obtinendam materiam examinandam.

Unde liquet consideranda non esse in foro ecclesiastico iudicia medicorum de eiaculato semine forte in actis contenta, ne Tribunalia ecclesiastica indirecte cooperentur futuris legis moralis laesionibus. Ceterum plerumque series examinum ideoque et masturbationum requireretur, ut constaret nemaspermata non solum ad tempus, sed iugiter abesse.

Quare intelligitur S. Congregationem S. Officii, ne huiusmodi graves abusus amplius in causas matrimoniales irrepant, die 2 augusti 1929 explicite inculcavisse turpitudinem masturbationis, ab obtinendum liquidum exa-

minandum institutae (*Acta Apost. Sedis*, vol. XXI, p. 490). Idipsum Summus Pontifex gloriose regnans, in adhortatione ad medicos catholicos die 29 septembris 1949 Romae coadunatos, in eorundem memoriam revocavit: « Il est superflu d'observer que l'élément actif ne peut jamais être procuré licitement par des actes contre nature » (*Acta Apost. Sedis*, vol. XXXXI, p. 560).

Palmieri ad rem animadvertit: « Torna qui opportuno che nei processi canonici viene generalmente ricusato l'esame diretto dello sperma, perchè la sua volontaria effusione mediante masturbazione o coito condomato costituisce atto turpe e illecito; l'estrazione dai testicoli è mezzo straordinario e inconsueto 'ipsa natura contra reclamante' (Cappello) » (*Medicina Leg. Can.*, p. 186). Nonnisi rarissime examen liquidi eiaculati licite fieri potest, nempe post pollutionem involuntariam, si patiens sit medicus vel aliunde peritus ad eiusmodi examen instituendum. Cfr. Jorio, *Theol. Moralis*, ed. 6, vol. III, n. 1304, 2°, et 1306, 2°.

Praeterea iterum monendum est examen seminis esse inutile, potissimum ex causis sequentibus. Imprimis inhabilitas emittendi semen nemaspermata continens orta esse potest post nuptias, v. g. turpi concubitu cum meretrice, cuiusvis aetatis vir sit; unde examen postnuptiale seminis nihil probat pro praeterito. Deinde morali cum certitudine constat senes non producere semen prolificum, nec tamen a matrimonio arcentur, quia impotentia coeundi impedit matrimonium, non vero sterilitas seu impotentia generandi. Quod igitur in senibus non obstat matrimonio, cur in iunioribus nuptias excluderet?

11. — *Eunuchos*, quippe qui utroque testiculo carent ideoque per se inhabiles sunt ad producendum semen verum effundendum, non solum ex generalibus principiis iuris, sed etiam ex notissima epistola Sixti V *Cum frequenter* diei 27 iunii 1587, ad Nuntium Apostolicum

in Regnis Hispaniarum, esse impotentes ad contrahendum matrimonium, extra quodlibet dubium est.

Quaeritur tamen, quid de *eunucoidismo tenendum sit*. Eunucoidismus enim est « anomalia dello sviluppo per deficienza delle ghiandole endocrine che presiedono allo sviluppo degli organi sessuali, che rimangono aplasici, talvolta con criptorchidia, mentre tutto il corpo presenta caratteri femminei, forme tondeggianti, voce sottile, assenza di barba, ecc. ». (Ferrio, *Terminologia medica,* ed. 2, v. *Eunucoidismo*). Et idem auctor sub voce *distrofia ipofisaria* haec scribit: « Una insufficienza della ipofisi intervenuta nell'infanzia prima dello sviluppo dei caratteri sessuali determina una sindrome caratterizzata da mancanza dei detti caratteri, deficiente sviluppo dello scheletro e del sistema pilifero, tendenza al tipo femmineo con pelle liscia e sottile ed accumulo dell'adipe... Quando l'alterazione della ipofisi sopraggiunga dopo la pubertà, si ha pure un regresso nella funzione dei genitali ed una modificazione dell'aspetto generale che giustifica il nome di eunucoidismo tardivo ». Quare eunucoidismus est aut *praepuberalis* aut *tardivus*.

Iuxta Falta (Malattie delle glandole sanguigne, p. 446) eunucoidismo laborant illi viri. « che, senza essere stati castrati, presentano clinicamente il tipo genuino degli eunuchi od almeno ad essi rassomigliano straordinariamente. Essi sono di statura assai alta, o almeno non inferiore alla media; addimostrano la tipica ripartizione del grasso degli eunuchi ed eventualmente spiccata adiposità; gli attacchi epifisari persistono per un tempo abnormemente lungo, le dimensioni dello scheletro sono caratterizzate da una lunghezza particolare delle estremità. Infine si trova un arresto più o meno spiccato dello sviluppo dei genitali con sviluppo insufficiente dei caratteri sessuali secondari. E' verisimile che in tali casi si tratti di un disordine di sviluppo che si insedia primieramente nelle glandole germinative e più specialmente nel-

la glandola interstiziale, perchè il disordine funzionale della sola glandola generativa non causa eunucoidismo » Et de genitalibus virorum, qui eunucoidismo laborant, idem auctor animadvertit: « I genitali sono spiccatamente ipoplastici ... » l. c. pag. 458).

In specie eunucoidismus tardivus est « un quadro morboso caratterizzato da ciò che in un organismo già maturo nel quale anche la funzione delle glandole sessuali ha già raggiunto il suo pieno sviluppo, si insedia un'atrofia dell'apparato sessuale ... con regressione dei caratteri sessuali secondari ... Le alterazioni eunucoidi tipiche dello scheletro non possono naturalmente più formarsi quando lo sviluppo si è già completato, ossia quando gli attacchi epifisari sono già completamente saldati » (p. 464).

« Può insediarsi una impotenza completa con impossibilità completa di coito. La libidine può in pari tempo spegnersi completamente, ma, in altri esiste impotenza, mentre la libidine si mantiene sebbene in forma indebolità » (pag. 469).

Eunucoidismus igitur, abstrahendo a causis internis eum provocantibus, externe cognoscitur potissimum ex his signis: « caratteri femminei », « statura assai alta », lunghezza particolare delle estremità », « arresto più o meno spiccato dello sviluppo dei genitali » ... aliquando habetur « impotenza completa con impossibilità completa di coito », « la libidine può in pari tempo spegnersi completamente ».

IN FACTO

. . . . . .

(Partium ac testium depositionibus excussis, peritorum relationibus perspectis, sequens cogitur conclusio):

20. — Asserta ab actrice de testiculorum defectu non probantur; sed contra, medicus qui virum conventum extraiudicialiter inspexit, peritique admiserunt conventum producere posse semen testiculare.

Quoad autem eunucoidismum, discordant peritiores.

Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de Turno, ... decernimus et definitive sententiamus: « Non constare de matrimonii nullitate, in casu », seu ad propositum dubium respondemus: « Affirmative, ad primam partem; negative, ad alteram partem », idest sententiam appellatam esse confirmandam.

(sign.) Arcturus Wynen

Guillelmus Heard

Albertus Canestri.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE FONTE OBLIGATIONIS CAELIBATUS CLERICORUM IN SACRIS

Status quaestionis

Ad normam canonis 132 § 1 « clerici in maioribus ordinibus constituti a nuptiis arcentur et servandae castitatis obligatione ita tenentur, ut contra eandem peccantes sacrilegii quoque rei sint ». Inter omnes constat per hanc dispositionem negari facultatem contrahendi matrimonium omnibus clericis in maioribus ordinibus constitutis eisque imponi obligationem servandi castitatem perfectam et perpetuam. Ipsa *lex* imponens sacrum caelibatum est antiquissima. Quod attinet *modum observandi* hanc legem traditio perpetua — i. e. saltem inde a medio aevo — admittebat votum tacitum ordinandi, scl. admittebat candidatum libere se praesentando ad ordinem subdiaconatus recipiendum eo manifestare suam voluntatem voto se ligandi ad sacrum caelibatum observandum.

Ad normam can. 6, 2 « canones qui ius vetus ex integro referunt ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi ». Consequenter dispositio can. 132 § 1 est interpretanda in luce huius traditionis perpetuae, quae quoad modum assumendi obligationem servandi sacrum caelibatum admittit votum tacitum ordinandi. Hinc sen-

tentia communis, aut saltem sententia communior auctorum etiam post promulgatum Codicem Iuris Canonici tamquam fontem immediatum obligationis servandi sacrum caelibatum habet votum tacitum ordinandi [1].

Revera ante et post promulgatum CIC *Curiae Romanae stylus et praxis huic* sententiae favet. A. v. obligatio servandi sacrum caelibatum quoad substantiam imponitur lege ecclesiastica, scl. can. 132 § 1, quoad modum autem stylus et praxis Curiae Romanae ita favet sententiae, quae admittit votum, ut haec sententia iure habeatur tamquam sententia, quae manifestat mentem legislatoris. Ita in resolutionibus S. Congr. Concilii inde ab eius origine semper est sermo de *voto* ordini sacro adnexo in causis dispensationis a sacro caelibatu [2]. Praeterea in Con-

---

[1] Non omnes auctores, qui negant votum, negant votum formaliter tamquam fontem immediatum obligationis servandi sacrum caelibatum, sed potius tamquam fundamentum *impedimenti* dirimentis matrimonialis, de quo in can. 1072. Profecto etiam supposito voto tamquam fonte obligationis servandi sacrum caelibatum, hoc votum non necessario admitti debet tamquam fundamentum immediatum impedimenti matrimonialis; immo, etiam auctores qui de cetero votum habent fontem immediatum obligationis servandi sacrum caelibatum, saepius aut tamquam fundamentum immediatum impedimenti matrimonialis habent ipsam legem ecclesiasticam, qua clerici in sacris constituti inhabiles redduntur ad matrimonium contrahendum, aut saltem admittunt etiam excluso voto inhabilitatem ad matrimonium contrahendum haberi per ipsam legem ecclesiasticam. Ita e. g. F. X. Wernz S. J., Ius Decretalium, tom. II. pars prima, Romae 1906², 304: « Illa autem solemnitas voti continet vim irritandi matrimonium forte attentatum. Quae vis irritandi ab Ecclesia adeo rigorose sustinetur, ut etiamsi in casu quodam particulari ex ignorantia vel malitia votum perfectae castitatis non emitteretur, tamen obligatio ad servandum caelibatum sive verum statum singularem et inhabilitas ad matrimonium celebrandum ex sola lege ecclesiastica omnino manerent ».

[2] Cf. e. g. Aem. L. Richter, Frid. Schulte, Canones et Decreta Concilii Tridentini, Lipsiae 1853, 201 ss. Joh. F. Zamboni, Collectio Declarationum Sacrae Congregationis Concilii, tom. III.

stitutionibus Apostolicis, quibus Anni Sacri Iubilaei indicantur, saltem inde a Benedicto XIV., a facultate confessariis concessa dispensandi a votis semper excipitur votum publicum ordinibus sacris adnexum; quod votum in una linea ponitur cum voto emisso in professione religiosa [3].

Auctores qui votum tamquam fontem immediatum obligationis servandi sacrum caelibatum non admittunt, negant haec documenta constituere sufficiens fundamentum ad affirmandum stylum et praxim Curiae Romanae. Explicantur haec documeta secundum eos forte tamquam accomodatio ad modum loquendi illorum auctorum, qui votum admittunt, quin hoc loquendi modo ipsa quaestio de fonte immediato obligationis servandi sacrum caelibatum tangatur. Praesertim quod excipitur votum publicum ordinibus sacris adnexum a facultate dispensandi confessariorum durante Anno Sancto, explicatur forte tamquam cautio adhibita, ne talis dispensatio concedatur propter opinionem illorum auctorum, qui fundamentum obligationis servandi sacrum caelibatum habent votum tacitum ordinibus sacris adnexum. Hinc ex tali exceptione a potestate dispensandi a votis nihil erui possit, nisi quod

---

Atrebati 1867, 208 s. Salv. Pallottini, Collectio omnium conclusionum et resolutionum Sacrae Congregationis Concilii, tom. XVI. Romae 1892, 159 ss.

[3] Benedictus XIV., Const. Ap. « Convocatis » diei 25. novembris 1749, § 41: « Quod idem est ac si dicatur, ipsos potestatem dispensandi in Votis solemnibus Castitatis, Paupertatis, et Obedientiae in solemni Religiosa Professione, sive in Ordinis Sacri susceptione emissis, minime habere ». (Codicis Iuris Canonici Fontes, vol. II. 269.) Pius XII., Const. Ap. « Decessorum Nostrorum » diei 10. iulii 1949: « Nullatenus tamen ab eodem (votum castitatis perfectae et perpetuae) illos dispensent, qui vi Ordinis sacri ad legem caelibatus tenentur, etiamsi ad statum laicalem redacti sint ». « Dispensare possint ... exceptis votis publice emissis in susceptione Ordinis sacri aut in profesione religiosa tam sollemni quam simplici ... ». (Acta Apostolicae Sedis 1949, 342, 344.)

obligatio servandi sacrum caelibatum, quomodocumque ulterius sit explicanda, non cadit sub potestate dispensandi a votis concessa confessariis durante Anno Sancto.

Haec explicatio forte admitti posset, in quantum negat vim peremptoriam horum documentum, si haec tantum pro *se ipsis* considerantur, ad probandum votum esse fontem immediatum obligationis servandi sacrum caelibatum. Si autem attenditur ipsam *traditionem* ecclesiasticam inde a medio aevo constanter affirmare votum tamquam fontem immediatum obligationis servandi sacrum caelibatum, hac explicatione vis probativa horum documentorum non videtur posse infirmari. Nam Sancta Sedes hanc traditionem aut habet simpliciter tamquam sententiam communem, et in hoc supposito approbat sententiam communem — aut Sancta Sedes habita ratione controversiae circa fontem immediatum obligationis servandi sacrum caelibatum se pronuntiat hisce documentis in favorem sententiae, quae votum admittit. Sive admittatur primum, sive admittatur alterum, in luce traditionis constantis et perpetuae circa fontem immediatum obligationis servandi sacrum caelibatum, haec documenta habent momentum reale, non tantum apparens ex modo loquendi. Neque in specie exceptio statuta a potestate confessariis concessa dispensandi a votis durante Anno Sancto haberi potest tamquam mera cautio ad praecavendos abusus. Ad obtinendum hunc finem alia formula indifferens fuisset magis apta; immo, si vere sententia communiter in Ecclesia recepta constitueret periculum abusus, Sancta Sedes sine omni dubio non tantum evitaret omnem speciem approbationis, sed etiam tolerantiae, nisi — quod probabilius est — declararet sententiam talem tutam haberi non posse. Hinc haec documenta in luce traditionis perpetuae de fonte immediato obligationis servandi sacrum caelibatum vi probativa obiectiva ad affirmandum stylum et praxim Curiae Romanae non carent.

Responsum recens Commissionis ad interpretandum Codicem Iuris Canonici.

Si tamen ita non iam omnia dubia circa fontem obligationis servandi sacrum caelibatum habeantur soluta, hisce dubiis tandem aliquando omne fundamentum auferri videtur responso recenti Commissionis ad interpretandum Codicem Iuris Canonici (CIP) diei 26. ianuarii 1949 [4]. Relate ad can. 81 duo dubia proposita erant Commissioni ad interpretandum Codicem Iuris Canonici, quibus datur responsum negativum.

Ad normam huius responsi Ordinarii vi can. 81 non possunt dispensare a votis Sedi Apostolicae reservatis, quia vota Sedi Apostolicae reservata « generalibus Ecclessiae legibus » non comprehenduntur. Porro, Ordinarii, vi can. 81 et sub clausulis in eo recensitis non valent dispensare subdiaconos et diaconos ab obligatione servandi sacrum caelibatum.

Commissio ad interpretandum Codicem Iuris Canonici, eo quod haec duo dubia simul ponit et simul solvit, iam innuit obligationem servandi sacrum caelibatum non fundari tantum in lege ecclesiastica, sed etiam in voto

---

[4] De dispensationibus. D. 1. An sub verbis can. 81 « a generalibus Ecclesiae legibus » comprehendantur vota Sedi Apostolicae reservata. D. 2. An Ordinarii, vi can. 81 et sub clausulis in eo recensitis, valeant dispensare subdiaconos et diaconos ab obligatione servandi sacrum caelibatum. R. Negative ad utrumque. (Acta Apostolicae Sedis 1949, 158.)

In quantum videre potuimus, momentum huius responsi relate ad quaestionem de fonte immediato obligationis servandi sacrum caelibatum non fuit satis notatum. Altera ex parte neque habetur *post hoc responsum CIP* et explicita ratione eius habita negatio sententiae, quae votum affirmat tamquam fontem immediatum obligationis servandi sacrum caelibatum. Ob hanc rationem non indicavimus auctores, qui — saltem ante hoc responsum CIP — votum negarunt.

Sedi Apostolicae reservato. Praesertim autem dispositio iuridica, quam alterum responsum continet, vix explicari posse videtur abstrahendo a voto tamquam fonte obligationis servandi sacrum caelibatum. Nam conditiones ad valide exercendam facultatem dispensandi a generalibus Ecclesiae legibus can. 81 concessam possunt esse impletae quoad dispensationem concedendam ab obligatione servandi sacrum caelibatum. Hinc negatio talis facultatis necessario intelligenda est tamquam negatio supposition, scl. fundari obligationem servandi sacrum caelibatum tantum in lege ecclesiastica.

Quod attinet clausulas in can.. 81 recensitis, sub quibus Ordinarii dispensare possunt, haec notanda sunt:

a) Difficilis recursus ad Sanctam Sedem.

Saepissime circumstantiae locales recursum ad Sanctam Sedem reddunt difficilem etiam nostro tempore, quo communicationes inter varias mundi partes de se sunt faciles et frequentes.

b) Periculum in mora gravis damni.

Nemo negabit haberi posse periculum gravis damni, ad quod evitandum dispensatio a sacro caelibatu conferre posset. Facultas autem, quae per dispositiones can. 1045 Ordinariis locorum confertur, non sufficit ad evitandum periculum gravis damni in omnibus casibus, qui occurrere possunt. Ad normam can. 1045 quidem Ordinariis locorum competit facultas dispensandi super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, « quoties impedimentum detegatur, cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usque dum a Sancta Sede dispen-

satio obtineatur ». Tamen exercitium huius facultatis imprimis limitatur ad casum, quod impedimentum detegatur, cum iam omnia sunt parata ad nuptias. Proinde exercitium huius facultatis supponit — relate ad impedimentum sacri ordinis — modum procedendi *illegitimum* clerici; clericus enim, qui, quamdiu lege caelibatus ligatus est, caelibatum observat, secundum communiter contingentia non potest esse in talibus conditionibus, quibus omnia sint parata ad nuptias. Requiritur ideoque remedium pro casu, quo clericus procedere velit modo *legitimo*. Nam periculum in mora gravis damni potest haberi etiam relate ad clericum, qui procedere velit sincere ad normas legis. De cetero — dato non concesso responsum CIP negare facultatem dispensandi ab obligatione servandi sacrum caelibatum, quia facultas can. 1045 concessa sufficeret, responsum sine dubio fuisset: Provisum in can. 1045.

Praeterea periculum gravis damni haberi potest, quin clericus habeat intentionem contrahendi matrimonium. Ita ad evitandum scandalum fidelium Ordinarius convenientem habere posset dispensationem a sacro caelibatu concedendam clerico, qui modo suo agendio offendit contra legem sacri caelibatus, quamvis de matrimonio contrahendo non (aut nondum) cogitet. In tali casu igitur facultas concessa can. 1045 non valeret ad periculum evitandum.

Illa quae modo dicta sunt excludunt etiam instantiam: Ordinarium quidem non posse dispensare vi can. 81 directe a lege sacri caelibatus, illum tamen posse dispensare indirecte, scl. dispensando vi can. 81 ab impedimento sacri ordinis, de quo in can. 1072. Sine dubio, dispensatio ab impedimento matrimoniali sacri ordinis est dispensatio a lege sacri caelibatus. Can. 1072 obligationi impositae per can. 132 § 1 nihil addit, nisi quod clericum in sacris ordinibus constitutum reddit *inhabilem* ad matrimonium contrahendum. Hinc negatio facultatis dispensandi a lege sacri caelibatus se extendit etiam ad dispensationem ab

impedimento matrimoniali sacri ordinis, de quo in can. 1072. Praeterea, uti iam diximus, dispensatio a lege sacri caelibatus potest esse necessaria ad evitandum periculum gravis damni, quin agatur de matrimonio contrahendo.

c) Dispensatio quae a Sede Apostolica concedi solet.

Dispensationem a lege sacri caelibatus diaconis et subdiaconis concedi solere a Sede Apostolica, nisi ex praxi iam constaret, constat ex ipso Codice Iuris Canonici, quatenus ad normam can. 1045 Ordinarius loci dispensare potest diaconos et subdiaconos ab impedimento matrimoniali sacri ordinis. Ipse legislator proinde distinguit relate ad dispensationem a sacro caelibatu inter diaconos et subdiaconos ex una parte et presbyteros ex altera parte. Dum facultas pro diaconis et subdiaconis conceditur, haec facultas non conceditur pro presbyteris. Huic normae stylus et praxis Curiae Romanae respondet [5]. Proinde relate ad diaconos et subdiaconos lex sacri caelibatus non est inter leges, a quibus Sedes Apostolica dispensationem concedere non solet.

Iure igitur *concludimus*: conditiones sub quibus in can. 81 Ordinariis facultas dispensandi a generalibus Ecclesiae legibus confertur impletas esse posse relate ad dispensationem a sacro caelibatu diaconis et subdiaconis concedendam. Si tamen responsum CIP negat hanc facultatem conferri per can. 81, alia ratio huius negationis assignari non potest, nisi negatio ipsius suppositi, scl. agi in hac quaestione de obligatione orta ex sola lege ecclesiastica.

---

[5] « Lex sacri caelibatus inter Latinos adeo Sanctae Ecclesiae curae semper fuit atque est ut, si agatur de sacerdotibus, fere nunquam super ea retroactis temporibus dispensatum fuerit, nunquam prorsus, ne in mortis quidem periculo, in praesenti disciplina dispensetur ». Decretum Sacrae Paenitentiariae Apostolicae diei 18. aprilis 1936. (Acta Apostolicae Sedis 1936, 242.)

Verum quidem est obligationem clericorum in sacris servandi sacrum caelibatum constituere traditionem antiquam, quae, saltem sub certo respectu, derivatur inde a tempore apostolico. Verum est etiam caelibatum quam maxime congruere sacerdotio Novi Testamenti, ne dicamus sacerdotium Novi Testamenti fere exigere caelibatum. Attamen ratione habita etiam horum factorum obligatio servandi sacrum caelibatum non fundatur formaliter in lege iuris divini. Formaliter haec lex, quae imponit obligationem servandi sacrum caelibatum, est iuris *ecclesiastici.* Quod attinet quaestionem iuris, Ecclesia proinde ab hac lege dispensare potest; quod attinet quaestionem facti, iam demonstravimus Sedem Apostolicam hanc legem non habere tamquam legem a qua dispensare non solet, saltem quod attinet diaconos et subdiaconos.

Si autem res ita se habent, responsum CIP aliam explicationem praeter negationem suppositi non admittit: quoad obligationem servandi sacrum caelibatum *non agitur de lege mere ecclesiastica.*

Haec conclusio eo accipit maiorem vim, quod nullo modo supponi potest Commissioni ad interpretandum Codicem Iuris Canonici ignotam fuisse controversiam circa quaestionem de fonte immediato obligationis servandi sacrum caelibatum ex parte clericorum in sacris ordinibus constitutorum. Proinde responsum CIP datum est ratione habita huius controversiae. Altera ex parte munus Commissionis ad interpretandum Codicem Iuris Canonici versatur unice circa authenticam interpretationem Codicis Iuris Canonici. Hinc eius responsa non determinantur respectibus administrationis, qui e. g. in decisiones Sacrarum Congregationum Romanarum — et quidem omnino iuste — influere possunt; responsa CIP alium finem praeter interpretationem ipsius iuris conditi non habent [6]. Si

[6] Hisce dictis non intendimus negare Commissionem ad interpretandum Codicem Iuris Canonici habere facultatem responsis

autem res ita se habent, Commissio ad interpretandum Codicem Iuris Canonici hoc responso *accentu se pronuntiat* in favorem sententiae, quae votum admittit, ne dicamus, Commissionem ad interpretandum Codicem Iuris Canonici hoc responso confirmare hanc sententiam, ita ut ista habenda sit tamquam sententia quae manifestat mentem legislatoris.

Tandem in responso CIP bene notanda sunt verba: *vi can.* 81. Quaeri igitur potest, utrum hoc responso simpliciter denegetur facultas dispensandi ab obligatione servardi sacrum caelibatum in casibus gravis periculi, in quibus Sedes Apostolica adiri non potest, necne. Verba huius responsi non videntur necessario exigere hunc sensum. Nam eo, quod denegatur facultas dispensandi vi can. 81, non tangitur facultas dispensandi, quae forte ex alio fonte habetur.

Revera, uti diximus, si caelibatus clericorum fundatur etiam in voto tacito ordinandi, non potest ab eo dispensari vi can. 81, qui tantum confert facultatem dispensandi a *legibus* generalibus Ecclesiae. Dispensatio a sacro caelibatu non potest concedi nisi dispensatur a voto, et quidem a voto reservato Sedi Apostolicae. Iamvero in casibus gravis periculi, in quibus Sedes Apostolica adiri nequit, videtur reservatio votorum cessare; ita saltem secundum sententiam communem auctorum ante et post

---

suis imponendi interpretationem extensivam vel restrictivam. Sed etiam in casibus interpretationis extensivae vel restrictivae agitur de interpretatione legis *conditae*. Quod atinet in specie interpretationem can. 81 relate ad dispensationem concedendam ab obligatione sacri caelibatus, haec interpretatio certo non est restrictiva, quatenus certo non restringit facultatem, quae Ordinariis de se per can. 81 collata esset, quia Commissio ad interpretandum Codicem Iuris Canonici potestatem revocandi facultatem, quae Ordinariis ipso iure competit, non habet. Immo, data non concessa natura restrictiva huius responsi, maneret quaestio de ratione talis restrictionis; ad hanc quaestionem explicandam recurrerent omnia illa, quae supra dicta sunt.

promulgatum Codicem Iuris Canonici [7]. Contra hoc assertum non potest appellari ad primam partem responsi CIP [8]. Nam hoc responsum negat facultatem dispensandi a votis reservatis vi can. 81, non autem negat *reservationem posse cessare*, ita ut dispensatio a tali voto fieri possit vi can. 1313. Saltem non apparet ulla ratio, quae suaderet responsum CIP excludere id, quod sententia communis admittabat, scl. posse cessare reservationem votorum..

Quoad dispensationem a sacro caelibatu autem non agitur de dispensatione a voto privato, sed a voto *publico*. Dubitari posset, utrum quoad hoc votum publicum reservatio cesset necne in casibus gravis periculi, in quibus Sedes Apostolica adiri nequit. Talis cessatio reservationis huius voti publici videtur tamen non esse absolute excludenda. Nam ad normam can. 1045 Ordinariis locorum competit facultas dispensandi ab impedimento matrimoniali sacri ordinis diaconos et subdiaconos, et ita facultas dispensandi a sacro caelibatu servando. Si autem facultas dispensandi confertur pro casibus, in quibus iam omnia parata sunt ad nuptias, et ita forte haec rerum conditio orta est ex modo illegali procedendi dispensandi, a fortiori videtur haec facultas debere haberi pro casibus, in

---

[7] « Et in urgenti necessitate (spirituali vel temporali) sive voventis sive alterius (cum omnis potestas in aedificationem data sit, non in destructionem), quoties R. P. commode adiri non potest, reservatio cessat ». (Ios. d'Annibale, Summula Theologiae Moralis, pars III. Romae 1908[5], 196, ubi auctor provocat ad auctoritatem Sanchez, Croix, Laymann, S. Alphonsi.) Cf. etiam Dom. M. Prümmer O. P., Manuale Theologiae Moralis, tom. II. Friburgi 1923[3], 350. H. Noldin S. J., A. Schmitt S. J., De Praeceptis, Oeniponte 1939[26], 218. J. Aertnys C. SS. R., C. A. Damen C. SS. R., Theologia Moralis, tom. I. Taurinorum Augustae 1944[14], 409 s. M. Conte O. M. Cap., Institutiones Iuris Canonici, vol. II. Taurinorum Augustae 1931, 229. E. F. Regatillo S. J., Institutiones Iuris Canonici, vol. II. Santander 1942, 80.

[8] Cf. supra notam 4.

quibus dispensandus intentionem habet procedendi ad normam legis. Saltem non apparet ulla ratio, propter quam ille, qui procedit illegaliter, obtinere possit gratiam, quam alter, qui procedit legaliter, obtinere non potest; potius haberetur provocatio ad parandum omnia ad nuptias, ut hac conditione illegaliter creata gratia obtineatur vi facultatis collatae in can. 1045 [9]. Proinde responsum CIP non videtur excludere omnem facultatem dispensandi a sacro caelibatu diaconos et subdiaconos; excluderetur

---

[9] Contra hanc argumentationem forte dicitur: Qui nimis probat, nihil probat. Iamvero, si haec argumentatio admittenda esset, etiam parochus, immo, pro foro interno et in actu sacramentalis confessionis, ipse confessarius, posset dispensare a acro caelibatu diaconos et subdiaconos; quod profecto admitti nequit. Attamen parochi et confessarii facultas dispensandi vi can. 1045 ab impedimentis matrimonialibus restringitur ad casus occultos, qui quidem etiam haberi possunt quoad impedimentum sacri ordinis, etsi hoc impedimentum natura sua est publicum. Quia autem hoc impedimentum natura sua est publicum, ad componendam causam definitive, etiam dispensatione obtenta ab impedimento sacri ordinis, recursus ad Ordinarium (aut ad Sedem Apostolicam) est semper necessarius; saltem dispensatus deberet Ordinario probare se legitime esse dispensatum ab impedimento sacri ordinis, ne habeatur tamquam excommunicatus ad normam can. 2388 § 1. Argumentatio supra proposita fundatur in analogia cum potestate exercenda vi can. 1045 in tantum, in quantum hic canon confert *Ordinariis* facultatem dispensandi pro foro externo.

Notare tamen velimus, nos non habere intentionem in hoc contextu agere de quaestione, utrum Ordinarii post hoc responsum CIP habeant revera facultatem dispensandi diaconos et subdiaconos a sacro caelibatu necne. Dicimus tantum, si Ordinarii etiam post hoc responsum talem facultatem habeant, haberetur argumentum validissimum pro sententia fontem immediatum obligationis clericorum in sacris servandi sacrum caelibatum esse votum tacitum ordinandi. Negata igitur hac Ordinariorum facultate dispensandi — extra circumstantias de quibus in can. 1045 — manerent tamen omnes aliae rationes supra expositae, quae certo demonstrant hoc responsum CIP confirmare sententiam de voto tamquam fonte immediato obligationis servandi sacrum caelibatum.

enim facultas, quae continetur facultate exercenda sub clausulis in can. 1045 recensitis.

Haec quae modo dicta sunt, breviter ita resumi possunt: Sicuti in prima parte responsi CIP non videtur denegari facultas dispensandi a votis reservatis, si reservatio cesset in casibus gravis necessitatis, in quibus Sedes Apostolica adiri nequit, ita nec in secunda parte huius responsi videtur denegari facultas dispensandi diaconos et subdiaconos a sacro caelibatu, si reservatio cesset voti adnexi ordini sacro in casibus gravis periculi, in quibus Sedes Apostolica adiri nequit.

Si autem res ita se habent, responso CIP non denegatur Ordinariis facultas dispensandi diaconos et subdiaconos a sacro caelibatu in casibus gravis periculi, in quibus Sedes Apostolica adiri nequit, sed denegatio facultatis dispensandi refertur formaliter et exclusive tantum ad *fontem facultatis dispensandi*: Tamquam fons huius facultatis dispensandi non potest invocari can. 81. *Proinde hoc responsum CIP pro fine habet indicare votum tacitum ordinandi ad subdiaconatum tamquam fontem immediatum obligationis servandi sacrum caelibatum.*

Dispositiones Codicis Iuris Canonici

Quod attinet interpretationem can. 132 § 1, fatemur in ipso textu pro se considerato argumentum peremptorium pro voto tamquam fonte obligationis sacri caelibatus non haberi. Si autem dispositio huius canonis consideratur in luce traditionis perpetuae et constantis et ante et post promulgatum Codicem Iuris Canonici, etiam ipse canon praebet argumentum, quod negligi non potest. « Clerici in maioribus ordinibus constituti a nuptiis arcentur et servandae castitatis obligatione ita tenentur, ut contra eandem peccantes sacrilegii quoque rei sint ». Si agatur de obligatione servandi sacrum caelibatum, quae

alium fontem praeter hanc dispositionem canonis qua talem non habeat, actus *externi* quidem contra castitatem sacrilegium constituunt, non autem actus *interni* contra castitatem; nam lex positiva ecclesiastica qua talis actus mere internos directe non attingit; immo, Ecclesia lege sua positiva actus mere internos directe attingere non potest, saltem secundum sententiam communiorem. Iamvero dispositio can. 132 § 1 non distinguit inter actus externos et internos; potius sine ulla ulteriore distinctione *omnes* actus contra castitatem habet tamquam sacrilegia. Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Proinde etiam peccata mere interna contra castitatem rationem sacrilegii habent.

Cum autem hic effectus — i. e. ratio sacrilegii — quoad actus mere internos contra castitatem haberi nequeat per legem ecclesiasticam, quaeritur, undenam rationem sacrilegii habeant. Potest ratio sacrilegii haberi ex eo, quod votum castitatis est fons immediatus obligationis sacri caelibatus clericorum sacrorum ordinum. Voto enim assumitur obligatio immediate coram Deo; hinc nulla est difficultas obligandi se per votum ad castitatem servandam ita, ut etiam actus mere interni contra castitatem rationem sacrilegii habeant. Neque assignari potest *hic* alia causa praeter votum a qua ratio sacrilegii actuum internorum contra castitatem derivaretur; a. v. *hic* ratio sacrilegii haberi potest *tantum* ex eo, quod votum castitatis est fons immediatus obligationis sacri caelibatus clericorum sacrorum ordinum. Hinc haec dispositio can. 132 § 1 votum ordinandi supponit [10].

---

[10] « Tandem ex communi doctrina theologorum clericus latinus in sacris ordinibus constitutus per peccata mere interna contra castitatem commissa, reus fit etiam sacrilegii. Cuius sacrilegii ratio solida assignari non potest, nisi clericus maior dicatur ligatus vero voto castitatis. Nam mera lex ecclesiastica ex communi magisque fundata sententia ad actus mere internos sese

Ad eandem conclusionem perducit *obiectum* obligationis sacri caelibatus, prouti hoc in can. 132 § 1 circumscribitur. Clerici in sacris constituti arcentur a nuptiis et tenentur obligatione servandae castitatis etiam ex motivo religionis. Sine dubio Ecclesia per impositionem obligationis servandi sacrum caelibatum personam clericorum Deo consecrare intendit. Haec personae consecratio habetur per servatam castitatem ex motivo religionis. Hinc prohibentur nuptiae (obligatio negativa), ut castitas perfecta et perpetua (obligatio positiva) sit possibilis: hac obligatione positiva obtinetur finis sacri caelibatus, i. e. personae consecratio. Iamvero consecratio personae est consecratio totius hominis, et externi et interni, immo imprimis consecratio hominis interni, cordis et animae. Talis consecratio integra hominis lege ecclesiastica sola secundum modo dicta haberi nequit. Hinc obiectum obligationis servandi sacrum caelibatum impositae per dispositionem can. 132 § 1 votum includit.

Tandem ad eandem conclusionem perducit consideratio influxus, quem habet *defctus voluntarii in receptione ordinis sacri* quoad obligationem servandi sacrum caelibatum. Clericus qui metu gravi coactus ordinem sacrum recipit, obligationem servandi sacrum caelibatum non contrahit.[11].

---

extendere non potest ». (Wernz, o. c. tom. IV. pars secunda, Prati 1912², 225.)

11 Secundum Petr. Card. Gasparri, Tractatus canonicus de matrimonio, vol. I. Typ. Pol. Vaticanis 1932, 368 s., quaestio olim disputata, utrum clericus, qui metu gravi coactus ordinationem receperit, obligationibus ordini sacro adnexis teneretur necne per dispositiones Codicis Iuris Canonici definitive soluta est in favorem sententiae, quae negat obligationes contrahi. Revera, Codicem Iuris Canonici admittere « *theoriam libertatis* », non autem « *theoriam liberationis* » ex ipso Codice Iuris Canonici egregie probat V. Fuchs, Erpresster Zutritt zu den höheren Weihen und Zölibatspflicht des Klerikers, Archiv für Katholisches Kirchenrecht, 1939, 3 ss. Quaestio autem, utrum votum admittendum sit

Huius asserti principale argumentum ex ipso Codice Iuris Canonici habetur in can. 1994 § 2: *a*) quatenus hic supponitur clericum, qui metu gravi coactus ordinationem receperit, ex sacra ordinatione obligationes ordini sacro adnexas non contraxisse; *b*) praesertim vero, quatenus hic disponitur clericum in tali casu posse « declarationem nullitatis onerum petere ». Actio *ob nullitatem actorum* (can. 1679 ss.) distinguitur natura sua ab actione *rescissoria* (can. 1684 ss.); illa pro obicto habet negotium iuridicum ab initio nullum, haec pro obiecto habet negotium iuridicum validum, quod tamen ob defectum voluntarii accidentalem efficacia sua iuridica privari potest. Proinde dispositio can. 1994 § 2 supponit negotium iuridicum ab initio nullum quoad obligationes ordini sacro adnexas, non autem negotium iuridicum validum rescindibile [12].

Quaeritur, qualis sit ratio iuridica, propter quam obligatio, quae est adnexa receptioni ordinis sacri, in casu ordinationis metu gravi coactae — quae ordinatio de se est valida — non oriatur. Posset dici ipsam dispositionem can. 132 § 1, qua obligatio servandi sacrum caelibatum adnectitur receptioni ordinis sacri, non extendi ad casum ordinationis metu gravi coactae. Se, etsi talis restrictio ipsius legis quoad subiectum passivum non est impossibilis, quia obligatio servandi sacrum caelibatum receptioni ordinis sacri iure positivo Ecclesiae est adnexa, non autem ipsa natura ordinis sacri, haec explicatio tamen plene non satisfacit. Haberetur enim negotium iuridicum validum (scl. ordinatio sacra), quod non haberet in casu *ef-*

---

ordinandi, tamquam fons obligationis servandi sacrum caelibatum, ab auctore hic non tangitur.

[12] Non potest admitti legislatorem confundere hic actionem ob nullitatem actorum cum actione rescissoria; nulla enim habetur ratio admittendi hanc confusionem — quae esset stricte probanda — *in hoc ipso iure processuali*, in quo natura utriusque actionis circumscribitur.

fectum (scl. obligationem servandi sacrum caelibatum) *de se proprium* tali negotio iuridico.

In can. 1994 § 2 autem non supponitur negotium iuridicum validum, quod est *inefficax quoad aliquos effectus iuridicos* de se proprios huic negotio iuridico, sed supponitur negotium iuridicum *nullum*. Cum ipsa receptio ordinis sacri de se in casu non sit nulla, supponitur ideoque negotium iuridicum *accedens* ad receptionem ordinis sacri, et hoc negotium iuridicum accedens supponitur esse nullum. A. v. obligationes ordini sacro non sunt adnexae tamquam effectus receptionis ordinis sacri, sed hae obligationes ordini sacro sunt adnexae potius tamquam effectus negotii iuridici, quod accedit ad receptionem ordinis sacri.

Tamquam negotium iuridicum speciale accedens ad receptionem ordinis sacri hic concrete in quaestionem venire potest tantum *promissio* ordinandi servandi sacrum caelibatum. Hinc iure concluditur in can. 1994 § 2 supponi votum ordinandi, quod votum — quia est publicum, i. e. ab Ecclesia acceptatum — habet etiam rationem actus iuridici, qui in casu ordinationis metu gravi coactae est nullus. Revera, ad normam can. 1307 § 3 votum metu gravi et iniusto emissum ipso iure nullum est; quae dispositio vi can. 572 § 1, 4 extenditur etiam ad votum publicum castitatis perfectae et perpetuae. Hinc, revera, non obstante ordinatione valida obligatio servandi sacrum caelibatum ex ordinatione metu gravi coacta non oritur, quia ratione metus gravis votum est nullum, et consequenter etiam nulla est obligatio servandi sacrum caelibatum [13].

---

[13] Quoad obligationem clericorum in sacris *recitandi horas canonicas* (can. 135) votum non habetur. Tamen neque haec obligatio oritur ex ordinatione metu gravi coacta; proinde declaratio nullitatis onerum etiam hanc obligationem includit. Sed sine dubio obligatio servandi sacrum caelibatum est obligatio principalis; obligatio recitandi horas canonicas considerari potest tamquam accessoria. Accessorium sequitur principale. Proinde, si ob-

Solutio difficultatum.

a) Si fons immediatus obligationis sacrum caelibatum servandi clericorum in sacris est votum tacitum in ordinatione emissum, non videntur ligari obligatione servandi sacrum caelibatum illi, qui votum actu positivo excludunt, sive bona fide, sive mala fide. — Hoc profecto nullo modo dici potest. Imprimis dispositione can. 132 § 1 imponitur haec obligatio quoad substantiam et quoad modum; a. v. imponitur obligatio servandi sacrum caelibatum et *insuper* imponitur obligatio servandi sacrum caelibatum tamquam obligatio inducta in subiecto passivo legis etiam per votum publicum cum ordinatione emittendum. Si votum excluditur, manet tamen obligatio servandi sacrum caelibatum non tantum quoad substantiam, sed etiam quoad modum, quatenus manet obligatio emittendi votum.

Immo, saltem quoad effectus *iuridicos*, qui hoc voto publico fundantur, exclusio voti actu positivo est omnino inefficax. Omnes enim rationes supra allatae, quae constringunt ad admittendum votum tamquam fontem immediatum obligationis servandi sacrum caelibatum, simul probant post validam ordinationem sacram, quae defectu accidentali libertatis quoad voluntarium — in spe-

---

ligatio principalis non oritur, neque oritur obligatio accessoria. E contra potest cessare obligatio accessoria, quin cesset obligatio principalis. Hinc explicatur reductionem clerici ad statum laicalem (extra casum ordinationis metu gravi coactae), saltem illam, quae conceditur tamquam gratia, liberare quidem ab obligatione recitandi horas canonicas, non autem per se ab obligatione servandi sacrum caelibatum. (Cf. can. 213 § 2.) In uno alterove casu nuper converso ad Ecclesiam — qui antea fuit minister in communitate acatholica et nunc est promovendus ad sacros ordines — concessa fuit facultas continuandi matrimonium ante conversionem contractum. Haec facultas est prorsus singularis et exceptionalis; hinc nihil inde deduci potest pro explicatione iuris communis.

cie defectu metus gravis iniuste incussi — non laborat, votum emissum esse praesumi *praesumptione iuris et de iure*; nam actio qua directe probatur votum non esse emissum non admittitur; impugnandus igitur esset ad probandam libertatem ab obligationibus ordini sacro adnexis fundamentum huius praesumptionis, scl. ipse valor ordinationis. Proinde ordinatione sacra valide recepta haec praesumptio de voto publico emisso, i. e. de modo obligationis servandi sacrum caelibatum, habet eundem effectum iuridicum ac ipsa lex, quae directe imponit substantiam obligationis servandi sacrum caelibatum [14]. Dubitari tantum posset, utrum in casu exclusionis voti actu positivo peccata mere interna contra castitatem habeant rationem sacrilegii necne.

b) Non habetur ulla dispositio legislativa Ecclesiae, quae formaliter et explicite imponit obligationem emittendi votum. Hinc ad summum habetur lex dubia; lex autem dubia non obligat. — Consuetudo est optima legum interpres. (Can. 29.) Consuetudo autem iuridica habetur saltem inde a medio aevo quoad modum servandi sacrum caelibatum. Lex ecclesiastica ideoque, qua imponitur obligatio servandi sacrum caelibatum quoad substantiam, saltem *consuetudine iuridica* legitima interpretationem accepit obligationis servandi sacrum caelibatum

---

[14] Exemplum praesumptionis iuris et de iure, qua negotium iuridicum factum praesumitur, quod libera voluntate etiam exclusum esse posset, habetur in Const. Ap. Pii X. « Apostolicae Romanorum » diei 15. aprilis 1910. Ad normam enim nr. IV. huius Const. Ap. « Cardinalis Suffraganeo adtribuat et vi praesentis Constitutionis irrevocabiliter adtribuisse praesumitur, omnia ad regendam dioecesim necessaria ita ut uni Suffraganeo sint in dioecesi gubernanda eadem iura et officia ac Episcopo residenti, quae hisce litteris contraria non sint ». (Acta Apostolicae Sedis 1910, 279.) Ergo Suffraganeus (in dioecesi suburbicaria) legitime constitutus post captionem dioecesis habebat iurisdictionem vi huius praesumptionis. Voluntas forte contraria Cardinalis erat omnino inefficax.

etiam quoad modum, scl. obligationis inducendae in subiecto passivo per votum publicum ordinandi. Hinc non requiritur lex formaliter et explicite imponens votum, neque obligatio emittendi votum dici potest fundari in lege dubia.

Immo, non convenit imponere per legem formaliter et explicite emissionem voti. Nam ex praxi antiquissima praeferendi pro ordinationibus candidatos caelibes orta est praxis admittendi *tantum* candidatos caelibes. Consuetudo autem, etiam quando facta est consuetudo stricte iuridica obligationem inducens, retinet semper illum characterem spontaneitatis, qua se evolvebat ex moribus populi. Tali modo caelibatus clericorum ortus est spontanee ex conceptione, quam fideles habebant de sacerdotio in Ecclesia, cui caelibatus quam maxime congruit, etsi sacerdotium in Ecclesia non absolute caelibatum exigit. Hinc facto, quod non habetur lex explicite imponens votum, innuitur character spontaneitatis, qua sacer caelibatus pro clericis in sacris ordinibus constitutis introductus fuerit.

Tali spontaneitati obligationis servandi sacrum caelibatum satisfit quam convenientissime per emissionem voti. Revera inde ab initio Ecclesiae illi, qui virginitatem assumebant tamquam statum in Ecclesia, ordinarie voto se obligabant; votum enim est actus religionis ex *plena libertate* interna procedens. Proinde votum natura sua quam perfectissime congruit spontaneitati, propriae consuetudini servandi sacrum caelibatum.

Consequenter documenta Sanctae Sedis, quae agunt de obligatione clericorum in sacris servandi sacrum caelibatum, *supponere* possunt et revera, de iure et de facto, supponunt votum tamquam fontem immediatum obligationis servandi sacrum caelibatum; agitur enim de consuetudine iuridica, qua lex caelibatum imponens interpretationem accepit; hinc obligatio emittendi votum non indiget impositione per legem, immo, secundum modo

dicta, habentur rationes convenientiae non imponendi votum per legem.

Rationes theologicae convenientiae.

Praeterea rationes theologicae summae convenientiae exigunt ipsum votum, i. e. exigunt impletionem obligationis servandi sacrum caelibatum per emissionem voti.

Receptione ordinis subdiaconatus clericus admittit caelibatum tamquam *statum*, i. e. clericus assumit statum in Ecclesia castitatis perfectae et perpetuae. Status natura sua requirit perpetuitatem. Iamvero non est alius actus iuridicus, quo haec perpetuitas perfectius obtineri potest quam per votum publicum.

Porro status castitatis perfectae et perpetuae natura sua exigit renuntiationem exercitii iuris fundamentalis, quod homo habet, i. e. contrahendi matrimonium, et ita exigit *sacrificium personale* perpetuum, quod imponi non debet nisi eis, qui illud plena libertate personali admittunt. Iamvero non est alius actus virtutis religionis, qui natura sua maiore libertate personali ponitur illamque ad extra manifestat quam votum publicum [15].

---

15 Secundum Fuchs l. c. in casu ordinationis metu gravi coactae obligationes ordini sacro adnexas non contrahuntur, quia accessus ad ordinem subdiaconatus habet *rationem assumptionis status* in Ecclesia. Ad mentem autem Ecclesiae assumptio status plenam libertatem requirit, sive agatur de matrimonio contrahendo (can. 1087 § 1), sive de professione religiosa emittenda (can. 572, 4), sive de caelibatu clericorum assumendo (can. 214 § 1 cum can. 1994 § 2): « Die nämliche ratio, die zur Erklärung der Nichtigkeit der erpressten Ehe und Profess führt, ist auch hinsichtlich der Weiheverpflichtungen vorhanden. Gegen eine andere Haltung der Kirche könnten sogar moraltheologische Bedenken geltend gemacht werden: Es kann ihr füglich das Recht abgestritten werden, so ausserordentliche, schwere, dauernde Pflichten jenen aufzuerlegen, die sie nicht mit freiem Entschluss erwählt haben.

Tandem finis, quem Ecclesia intendit imponendo sacrum caelibatum, est *consecratio integra personae clerici*, dedicatio eius ad Deum eiusque servitium. Iamvero haec consecratio, utpote natura sua consistens praeprimis in consecratione interni hominis, una ex parte lege ecclesiastica obtineri nequit [16], altera ex parte per votum tamquam per actum religionis ex interno hominis plena libertate personali procedens quam perfectissime obtineri potest.

Patet rationes convenientiae argumentum stricte dictum pro voto tamquam fonte obligationis servandi sacrum caelibatum non constituere. Magis autem quam

---

Erzwungene Ergreifung des geistlichen Standes hat in der Regel eine innere und äussere Tragödie des Priesterlebens zur Folge. Die Kirche kann nun nicht, um diese zu verhindern, den Geistlichen auf seine eigene Erklärung hin ziehen lassen, sie muss um der Rechtssicherheit und der Disziplin willen den ordnungsmässigen Erweis der Nötigung fordern und den möglichen Widerstreit zwischen Gewissens- und Rechtsbereich in Kauf nehmen. Sie geht aber wenigstens den Weg, der viele Sünden verhindert und vielen Sünden, die geschehen, den Charakter des Sakrilegs nimmt, den Weg, auf welchem leichter geordnete Gewissen bestehen, und Gewissen geordnet werden können.

Die Kirche ist die stolze Braut, die die Hand zum Lebensbunde nur dem reicht, der aus freier Liebe um sie wirbt, und die gute Mutter, die ihrem Kinde nicht eine ausserordentliche Last aufbürden will, der es sich von vornherein nicht gewachsen fühlt». (l. c. 29 s.)

Hisce tamen considerationibus, quae sunt omnino fundatae, addi possunt haec: Analogia cum matrimonio et cum professione religiosa, quatenus habent rationem initiationis status in Ecclesia, insuper exigit specialem actum iuridicum, quo caelibatus clericorum assumitur, a. v. sicuti status matrimonialis initiatur contractu, status religiosus professione religiosa, ita status caelibatus clericorum voto publico est initiandus. Hinc quoad hoc ante et post promulgatum Codicem Iuris Canonici assumptio status caelibatus clericorum aequiparatur professioni religiosae.

[16] Cf. illa quae supra dicta sunt de effectu legis ecclesiasticae quoad actus mere internos.

quoad alias quaestiones videntur attendendae tales rationes convenientiae in hac quaestione. Et hoc non tantum ex ratione potius pastorali, quod consecratio integra interni hominis facilius infirmatur (quod experientia teste periculum non est mere theoreticum) eo, quod caelibatus tamquam onus ingratum ab extrinseco impositum apparere potest, si a sola *lege* ecclesiastica haec obligatio derivatur; sed praesertim ex hac ratione fundamentali: Tota activitas iuridica Ecclesiae fontem et finem habet in vita Ecclesiae interna, spirituali, supernaturali. Sacer caelibatus clericorum ex hoc fonte nascitur et ad hunc finem tendit. Iamvero in voto publico servandi castitatem perfectam et perpetuam natura sua elementum internum et externum vitae Ecclesiae quam intime conectitur; nam votum publicum servandi castitatem perfectam et perpetuam est quidem actus externus, iuridicus, cuius tamen tota ratio est in eo, quod manifestat *internam dedicationem integram voventis erga Deum in ordine ad paternitatem spiritualem, supernaturalem in Ecclesia constituendam.*

W. Bertrams, S. J.

DE VALORE PROFESSIONIS MONASTICAE ORIENTALIUM DISSIDENTIUM

1. De natura monachismi apud orientales dissidentes existentis diversae inveniuntur sententiae apud auctores, quorum alii affirmare videntur monachismum, qui olim ante separationem floruerat in ecclesia orientali, post defectionem perseverasse et quidem in ea condicione in qua antea inveniebatur; dum alii explicite asserunt monachismum dissidentium nullo pacto tamquam statum religiosum recipi posse.

Schäffer, in suo opere De Religiosis, postquam affirmaverat: « extra Ecclesiam catholicam aut deest omnino status religiosus, imo multum status religiosus reprobatur, aut adsunt solum tentamina huiusmodi, conatus inertes aut quaedam debiles imitationes, ex. gr. apud diaconissas protestantium »[1], aperte asseruit: « monasteria heterodoxa quae in Oriente, in Russia, in Anglia existunt nullo modo ad statum religiosum pertinent »[2]. Contrarium sentire videntur, qui tradunt ecclesias dissidentes orientales etiam post defectionem conservasse multa media supernaturalia sanctificationis, monachismo non excluso, quem aliunde considerare videntur, non tamquam generalem quamdam formam asceseos, sed secundum illam formam sub qua extiterat ante separationem et in illa conditione qua tunc donabatur. Congar, O. P., in opere « Chretiens desunis »[3] examinat discrimen quod

---

[1] T. Scaefer, *De Religiosi*, edit. 3a, Romae, 1940, p. 35.

[2] Id., o. c., p. 67.

[3] M. J. Congar, *Chrétiens désunis-Principes d'un « Oecuménisme catholique*, Paris, 1937.

relate ad Ecclesiam catholicam existit inter protestantes et dissidentes orientales, et, asserto protestantes « ont assez peu gardé des principes realisateurs de l'Eglise »[4], affirmat ecclesias orientales dissidentes, e contra, multa conservare ex elementis primordialibus constitutivis Ecclesiae. En eius verba : « Par contre, les Chrétientés orientales possèdent, à l'exclusion de ce qui met son dernier sceau à l'unité ecclésiastique, le plus grand nombre des éléments primordiaux constitutifs de l'Eglise : le baptême et *tous* les sacrements, et donc aussi les grâces sacramentelles : ... — la succession apostolique dans l'épiscopat, et donc, avec l'épiscopat, l'élément décisif de la constitution des Eglises particuliéres; — les pouvoirs ecclésiastiques : le pouvoir d'ordre en sa plénitude; la jurisdiction spirituelle rendue illégitime par l'état de schisme, mais demeurant cependant effective; voire même, dans un état évidemment diminué et précaire, une certaine part au magistère ecclésiastique; — la tradition ascétique et spirituelle de l'Eglise ancienne, et la vie monastique, qui est sa sainteté visible; — la plus grande partie du trésor dogmatique de l'Eglise; — ... »[5]. Ex hoc textu, ceteris praetermissis, nec tamen simpliciter admissis, id tantum quod ad monachismum se refert, in praesenti est considerandum.

Diversitas quae ex allegatis textibus apparet, non est aestimanda mere externa, cum revera ipsam iuridicam naturam monachismi orientalis attingat, qui, proinde, habendus erit vel non, pro diversitate sententiae, tanquam status publicus perfectionis evangelicae. Noster, igitur, scopus non alius est, quam quaestionem stricte iuridicam examinare, et inquirere an monachismus, prout

---

[4] Id., o. c., p. 302.

[5] Id., o. c., p. 303-304. M. Jugie in suo opere « Le schisme byzantin » Paris, 1941, p. 434, ita loquitur de monachismo dissidenti orientali, ut eius verba in eodem sensu quem auctori praecedenti tribuimus posset fortasse quis accipere.

a dissidentibus orientalibus colitur, habendus sit necne ut publicus et revera existens status religiosus; cuius quaestionis solutio pendet, ut est clarum, a validitate monasticae professionis.

2. Quod essentia professionis monasticae in votis reponenda sit, ita ut sine eis professio religiosa haberi nequeat, extra controversiam est, et, sive in traditione monastica, sive in documentis ecclesiasticis quae hanc quaestionem respiciunt aperte supponitur vel declaratur promissiones virginitatis, paupertatis et oboedientiae, quas candidatus ad vitam monasticam in ceremonia cooptationis seu tonsurae profitebatur, constituere substantiam professionis, et sine illis professionem haberi non posse [6]. Cuius rei confirmationem praebet illa controversia apud scriptores de rebus orientalibus per plura saecula agitata et nondum soluta circa rasophoratus naturam, seu utrum rasophori habendi sint ut veri monachi necne. Tres sunt de hac re sententiae, quarum una negat, altera affirmat eos esse veros monachos, et tertia, quae anceps haeret. In hac triplici sententia, id est omnibus commune et ab omnibus admissum, nempe, quod non potest dari vera professio sine votis, seu sine illis promissionibus virginitatis, paupertatis et oboedientiae, et quod professionis existentia a facto emissionis istarum promissionum pendet. Quoniam, autem alii negant in professione rasophori emitti praedictas promissiones, alii vero affirmant, alii tandem dubitant, inde triplex illa solutio quaestionis [7].

---

[6] S. BASILIUS, *Epist. ad Amphil.*, cann. 18,19, PG., 32, 718-719; S. TH. STUDITA, Epist. lib. I, epist. 19 et 20, PG., 99, 967; Epist. lib. II, epist. 88, PG., 99, 1334; TH. BALSAMON, in can. 2 Conc. I-II Const., PG., 137, 1015; BLASTARES, *Syntagma*, PG., 145, 42-43.

[7] Apud P. P. DE MEESTER, O.S.B., *De Monastico Statu iuxta disciplinam byzantinam*, [Codificazione Canonica Orientale, serie

Ergo, ad iudicandum de valore professionis monasticae dissidentium orientalium, praeiudicanda necessario est quaestio de valore votorum, seu, utrum vota quae monachi dissidentes orientales in professione monastica emittunt sint revera vota religiosa valida, an potius aliquo essentiali defectu laborent.

3. Votum est « promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore » (can. 1307, § 1ª, CIC), et « nisi iure prohibeantur, omnes congruenti rationis usu pollentes, sunt voti capaces » (§ 2ª). Distinguitur votum privatum et publicum. « Votum est publicum, si nomine Ecclesiae a legitimo superiore ecclesiastico acceptetur, secus privatum » (can. 1308, § 1ª CIC). Votum igitur privatum eo ipso quod tale est, *per se* dicit relationem voventem inter et Deum tantum; in voto autem publico, ut

---

II, fasc. X] Romae, 1942, pp. 87-92 inveniuntur istae tre sententiae indicatae cum bibliographia; Saec. VIII-IX inducta est distinctio monachorum in rasophoros, microchimos et megaloschimos. Rasophorus seu incipiens dicitur monachus qui post primam professionem rasum seu vestem quamdam induit. Microschimus (vel staurophorus a cruce parva vocatur ille monachus quam recipit in secunda professione, quae locum habet post aliquot annos vitae monasticae) vocatur monachus qui parvum habetum seu parvum quoddam scapulare sub tunica gestat. Monachus megaloschimus seu magni habitus est ille qui in professione recipit et induit supra tunicam scapulare quoddam magnum; vocatur etiam monachus habitus angelici et repraesentat ultimum et supremum gradum perfectionis monasticae. Monachi secundi et tertii gradus ab omnibus ut veri monachi habentur; de illis primi gradus seu rasophoris exstat controversia, prout in textu dicitur. Istae tres classes monachorum non accipiendae sunt tamquam tres gradus necessario ab omnibus percurrendi; de facto plurimi per totam vitam in rasophoratu manent. Nec differentia iuridica inter monachos ratione professionis est ponenda, sed solum ordinis moralis et ascetici. *P. Placidus de Meeester* in opere Liturgia bizantina — lib. II, p. VI, Rituale — Benedizionale bizantino (Roma, 1929), pp. 15 ss. nonnulla tradit de vestibus propriis monachorum, et pp. 38 ss. summa ritus professionis pro unoquoque gradu.

est votum religiosum, praeter istam relationem ordinis privati, nova alia relatio socialis et ordinis externi exurgit, scil. relatio ad Ecclesiam, cuius interventu et acceptatione illud votum ut publicum existit, et vi cuius qui illud emittit etiam novam qualitatem recipit. Huiusmodi votum plene subest externae Ecclesiae iurisdictioni, quae iure proprio et exclusivo determinatas condiciones, etiam ad eius validitatem, imponere potest; qua potestate usa est Ecclesia inde a primis temporibus et pro diversitate adjunctorum, ut constat ex tota legislatione circa vitam monasticam.

Omissa consideratione de ceteris conditionibus ad valorem voti religiosi requisitis, imo iis suppositis, illam tantum consideramus quae magis directe ad nostrum argumentum pertinet, nempe, ut votum seu professio recipiatur a legitimo superiore ecclesiastico nomine et auctoritate Ecclesiae. Haec conditio in iure CIC, non aliter ac in iure praecedenti, omnino requiritur ad valorem [8]. In iure orientali antiquo illa sola tonsura seu professio per se legitima erat, quae coram superiore peragebatur; quae aliter fiebat, illegitima quidem erat, sed valida [9]. At quidquid sit de tempore praeterito, difficultas exurgit pro tempore post defectionem ecclesiae orientalis eiusque a Sede Romana separationem. Etenim, votum religiosum est votum publicum, quod proinde acceptari oportet nomine Ecclesiae a legitimo superiore ecclesiastico convenienti delegatione ad hoc praedito. Ecclesia vero de qua agitur est illa vera Christi Ecclesia, cui praeest Romanus Pontifex. Quaeritur, igitur num professio monastica dissidentium, non obstante separatione a Romana Sede, legitime et valide nomine et repraesentatione verae Christi Ecclesiae a superiore monastico recipiatur. Quaestio, ut

---

[8] *Can.* 572, § 1ª, nn. 2, 6, CIC.

[9] Th Balsamon, in cann. 2 Conc. I-II Const., PG. 137, 1014-15.

patet, connectitur cum illa saepe agitata de iurisdictione ecclesiastica in praelatis dissidentibus, cuius tractationem, tamen, hic praetermittimus, cum pro nostro casu nonnulla indicasse sufficiat [10].

4. Status religiosus est status publicus, in quo perfectio christiana seu religiosa, per consiliorum evangelicorum praxim votis perpetuis firmatam, publice colitur. Quoniam vero Christus totam suam doctrinam et totam suam auctoritatem, etiam ad perfectionis evangelicae professionem quod attinet, soli suae Ecclesiae commisit, Eique soli munus dedit homines omnes, non solum in praeceptis adimplendis, sed etiam in consiliis evangelicis practicandis, auctoritative et Eius nomine dirigendi [11], manifestum est nullum verum et publicum perfectionis evangelicae statum existere posse, qui independens a vera Christi Ecclesia sit.

Imo, nec Ipsa Christi Ecclesia posset umquam tamquam verum et legitimum publicum perfectionis statum agnoscere quamcumque formam extra Se et a Se independenter existentem, quin eo ipso Seipsam negaret at-

---

[10] Haec quaestio generalis recenter considerata est a *Ae. Herman*. Quibus legibus subiiciantur dissidentes rituum orientalium, (Il Diritto Ecclesiastico, ann. LXII, 1951, fasc. IV, praesertim in pp. 1050-1058), et a *A. Coussa*, Epitome praelectionem de iure ecclesiastico orientali, vol. I, 1948, pp. 22-27: apud eos utriusque sententiae fautorees accurate indicantur.

[11] *Conc. Vatican.* in Const. de Ecclesia Christri declaravit: « Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctum aedificare ecclesiam decreveit »; et *P. Tromp*, in Annotationibus ad lit. encyc « Mystici Corporis Christi » haec, quae ad rem nostram faciunt, scribit: « Vocatur autem terrestris Ecclesia quasi altera Christi persona », vel ut generatim dicitur « Christus mysticus »: 1°) ratione iuridicae missionis, qua nomine Christi opus Redemptoris perenne reddit (nn. 17, 46, 63, 92: hi numeri respondent divisioni Encyclicae pro Periodica de re morali, 1943; et referuntur ad AAS, 1943, pp. 200-201, 214-215, 224, 238-239).

que aliam societatem agnosceret in qua vera doctrina Christi e vera Evangelii perfectio ab hominibus de facto et legitime profiteri possent; quod Ecclesiae constitutioni plane obstat, cum talis perfectionis status, voluntate Christi, a potestate magisterii et regiminis independens esse nequeat, nec, aliunde, Ecclesia possit talem potestatem ab aliqua extranea societate religiosa proprio iure possideri admittere.

Quae in genere dicta sunt, iure applicantur ecclesiis orientalibus dissidentibus, quae nequeunt quamlibet huius potestatis partem sibi iure vindicare, cum nullam missionem a Christo receperint. Nam Christus continuationem suae missionis redemptricis soli Petro et Apostolis, sub Petro capite, commisit; proinde soli illi Ecclesiae cuius visibile caput est Romanus Pontifex, Petri Successor [12]. Quoniam, vero, ecclesiae orientales omne vinculum subjectionis erga Romanum Pontificem solverunt, iure meritoque privatae manserunt participatione potestatis sive regiminis sive magisterii, quae est patrimonium exclusivum solius Christi Ecclesiae in ordine ad continuandam illam missionem propter quam Christus instituit. Ergo adeneganda est ecclesiis orientalibus potestas propia ad homines per viam perfectionis evangelicae publice dirigendos.

5. At quaeri potest, num affirmandum sit has ecclesias possidere, in bonum spirituale illorum fidelium qui illis adscripti sunt, quamdam delegationem eis a catholica Ecclesia factam, vi cuius status monastichus in iis existens, ut verus status publicus perfectionis sit agnoscendus seu aliis verbis, num vi cuiusdam delegationis, vota monastica sint revera valida ut vota religiosa.

Nolumus quidem negare Romanum Pontificem posse communicare, et fortasse de facto in aliquibus adjunctis

---

[12] Pius XII, Lit. Encyc. « *Mystici Corporis Christi* », 29 iunii 1943, AAS, 1943, pp. 210-211, 227, 230-231.

communicavisse schismaticis partem aliquam suae potestatis, ex. gr. in ordine ad absolvendum in determinatis adiunctis in foro interno sacramentali, ut communiter tenetur ab auctoribus [13]; at cum tota potestas sit penes Rom. Pontificem et ab Eo ordinarie et secundum mensuram ab Eo definitam communicetur cum inferioribus qui cum Supremo Capite manent uniti et coniuncti, nec obicem ponunt [14]; cumque dissidentes nec Capiti sint uniti, nec intra Corpus Ecclesiae inveniantur, ac proinde, cum omnis iuridica et externa communicatio inter Romanum Pontificem et dissidentes ablata sit, praesumptio saltem et certe non levis, habetur contra illam potestatis communicationem ex parte R. Pontificis [15]. Ei, proinde, contra quem talis militat praesumptio, onus incumbit huiusmodi communicationem, non iam asserendi, sed probandi, et in casu nostro, demonstrandi superiores dissidentes, in receptione professionis monasticae, Ecclesiam catholicam repraesentare Eiusque nomine agere.

Quod si rem a priori consideramus, non deerunt ra-

---

[13] Ae. Herman, o. c., p. 1053; A. Coussa, o. c. p. 25-26.

[14] Pius XII in citatis lit. encyc. haec tradit: « ad propriam cuiusque dioecesim quod spectat, utpote veri Pastores (intellige Episcopos) assignatos sibi greges singuli singulos Christi nomine pascunt ac regunt; id tamen dum faciunt, non plano sui iuris sunt, sed sub debita Romani Pontificis auctoritate positi, quamvis ordinaria iurisdictionis potestate fruantur, immediate sibi ab eodem Pontefice Supremo impertita » AAS, 1943, p. 211-212.

[15] Leo XIII in suis Epist. Encyc. « Satis cognitum », diei 29 iunii 1896 scribebat: « Nemo igitur, nisi cum Petro cohaereat, participare auctoritatem potest, cum absurdum sit opinari, quqi extra Ecclesiam est, eum in Ecclesia praeesse ». (Leonis XII, Acta, vol. XVI, p. 200). Quae complementum habere videntur in sequentibus Pii XII verbis. « In Ecclesiae autem membris reapse ii soli adnumerandi sunt, quqi regenerationis lavacrum receperunt veramque fidem profitentur, neque a Corporis compage semet ipsos misere separarunt, vel ob gravissima admissa a legitima auctoritate seiuncti sunt ». Lit. Enc. « Mystici Corporis Christi », AAS, 1943, p. 202.

tiones quibus concludere poterimus contra talem delegationem. Etenim, huiusmodi delegatio potestatis ad recipiendam professionem suponitur universalis, generalis et pro omnibus professionibus monasticis. Talis delegatio practice aequivaleret implicitae et tacitae approbationi illius instituti seu vivendi modi, pro cuius susceptione delegatur illa potestas, quia, etsi delegatio in aliquo casu particulari posset fortasse concipi absque illa consequente approbatione totius instituti, non idem dici potest de delegatione tam ampla, universali et constanti, nec potest fingi separata a quadam implicita approbatione monachismi orientalis, prout hodie in illis ecclesiis concipitur et profitetur. Talis approbatio secum ferret saltem iudicium de puritate doctrinali et morali huius instituti, seu, praescindendo a defectibus plus minusve particularibus, a quibus nullum humanum institutum immune esse potest, iudicaretur, quod in isto instituto, seu in monachismo orientali, nihil habetur rectae fidei et bonis moribus contrarium, et simul id utile esse, non solum ad virtutem, sed etiam ad perfectionem evangelicam tuto assequendam. Id est minimum quod in tali iudicio contineretur. Iamvero, misso in hoc casu non agi de illo iudicio solemni et authentico, de quo agunt theologi et quod cum infallibilitate pontificia connectitur[16], sed de sola et mera approbatione, (quae tamen magni esset momenti), quominus illud iudicium feratur, factum quoddam nullatenus praetermittendum obstat scil: institutum monastichum, prout post separationem existit et concipitur ab ecclesiis dissidentibus, saltem quoad eius doctrinam, in non paucis a vera fide deficit, sicut deficiunt ecclesiae quarum magisterio illud regitur. Monachismo qua tali, omissa quaestione de bona vel mala fide monachorum, applicari potest iudicium quod auctores de ecclesiis sepa-

---

[16] F. Salaverri, S. I. De Ecclesia Christi, Madrid, 1950, nn. 695-698, 727-728.

ratis qua talibus dant [17], et affirmare eum qua talem esse iuridice et publice schismaticum et haereticum. Approbatio vel tacita huiusmodi monachismi repugnare videtur, cum facile posset approbationem erroris continere.

6. Non desunt tamen qui contrarium sentiant, et, logice saltem, doceant praelatos dissidentes praefatam delegationem in ordine ad recipiendam professionem possidere. Dico logice saltem, quia, etsi fortasse hanc quaestionem non tractarunt, sequitur ex illa quaestione generali de participatione iurisdictionis ab illis praelatis. Argumenta pro delegata potestate ceteris omissis [18], eruuntur ex exigentiis boni spiritualis fidelium bona fide errantium, et ex silentio Ecclesiae, seu potius, ex defectu documentorum quibus constet Ecclesiam illam sustulisse potestatem. Quare necesse est breviter considerare, quam vim ista argumenta in nostro particulari casu habent.

Imprimis, omnino admittendum est multos esse inter dissidentes qui bona fide in errore versantur; nec minus certum est multos ex iis, vitam perfectiorem simplici vita christiana cupientes, statum monasticum amplecti, vota in eo emittere, necnon asperitates huius vitae animo generoso sustinere. Posita autem nullitate professionis, non parvum detrimentum spirituale tot viris sine culpa errantibus proveniret; quod damnum Ecclesia vitare deberet, quia agitur de baptizatis, qui, etsi externe ab Ea separati tamen propter supositam eorum bonam fidem, interne cum Ea conjunguntur. Illud autem damnum vitari posset, in casu, per validitatem professionis,

---

17 M. Jugie, *Le schisme byzantin*, p. 447; M. J. Congar, *Chrétiens desunis*, pp. 301, 305; Maroto, *Institutiones Iuris Canonici*, vol. I, Romae. 1921, n. 576.

18 Rationes allatae ab auctoribus qui affirmant praelatos dissidentes iurisdictionem possidere, breviter indicatae inveniuntur apud Ae. Herman, o. c., pp. 1050-1053.

seu per concessionem praelatis factam Suae auctoritatis ad professiones recipiendas.

Verum quidem est Ecclesiae esse, bonum commune tueri, et damnum spirituale ab hominibus, praesertim si baptismo sint regenerati, quantum possit avertere, et bonum spirituale, eorum praesertim dissidentium qui bona fide errant, promovere. Id tamen legitimo et rationabili modo faciendum est, seu qui cum eiusdem Ecclesiae constitutione non repugnet. Repugnat, autem (ex dictis patet, Ecclesiam publicum quemdam perfectionis statum extra Eam et ab Ea independentem agnoscere; agnosceret vero per praefatam concessionem, cum iuridice talis status ab Ecclesia Christi esset totaliter independens ob exclusam omnem a Sede Romana dependentiam. Agnoscere monachismum dissidentem tamquam statum publicum perfectionis transcendit quaestionem de bona vel mala fide singulorum membrorum; siquidem, aliud est admittere bonam fidem singulorum, et ob eam eis aliquos favores elargiri, et aliud est statum publicum in sinu ecclesiarum separatarum agnoscere: hoc, admitti nequit.

Neque iure exigi potest, ut Ecclesia sua propria auctoritate publicam quamdam formam perfectionis evangelicae approbet et agnoscat, quam postea Ipsa nullo modo poterit moderari et juxta verae fidei placita dirigere; imo, quae subest moderationi hierarchiae illegitimae, et a cuius erroribus doctrinalibus immunis esse nullatenus potest.

Aliunde tamen Ecclesia, ex eo quod monachismum orientalem qua publicum statum perfectionis non agnoscat, non est dicenda eos qui bona fide errant, imo neque eos qui culpabiliter in errore versantur, totaliter derelinquere [19], cum Ipsa, quod est in Se, id faciat ad eorum bonum spirituale promovendum et ad malum ab eis

[19] Recolantur verba Pii XII in citatis litt. « Myst. Corp. Christi », AAS, pp. 242-243; et in Encyc. Litt. « Sempiternus Rex » diei 8 septemb. 1951, AAS, 1951, pp. 640-641.

efficaciter avertendum; quodsi bono spirituali etiam inculpabiliter errantium non plene consulere valet, id certo Ecclesiae non est tribuendum.

7. Argumentum ex silentio eductum quod attinet, iam supra innuimus non nimis urgendum esse, cum non sit demonstranda ablatio potestatis, ut aliqui volunt, sed potius sit demonstranda conservatio vel possessio vel saltem delegatio potestatis. Etenim, praelati orientales ante defectionem potestatem possidebant, quia unionem cum Vicario Christi servabant, et eam possidebant, quatenus sub eius dependentia et auctoritate permanebant et cum Eo et sub Eo gregem christianum pascebant. Sublatis, autem, illa unione et illa dependentia, sublatum mansit fundamentum illius participationis in potestate, et consequenter sublata quoque manet ipsa potestas. Admittimus R. Pontificem posse, non obstante separatione, aliquam participationem huius potestatis concedere; quod concesserit id, potius quam suponendum, est demonstrandum.

8. Considerationibus generalibus, praecedentibus, aliam addere possumus magis particularem, quae nititur in ipsa S. Sedis praxi, prout apparet in quodam responso S. Congregationis de Propaganda Fide, et quae praeterea valet contra argumentum modo indicatum silentii Etenim in Congregatione particulari Prop. Fid. diei 4 Iulii 1634 cosiderata fuit quaedam petitio facta a Metropolita « Russiae » seu rutheno, « ut illi concederetur facultas dispensandi cum monachis ruthenis schismaticis ad Unionem venientibus, ut si Ordinibus Sacris initiati non sint possint ad saeculum reverti et uxorem ducere; si vero in praedictis Ordinibus fuerint constituti, ut eos possit saecularizare et parochiis praesertim ruralibus praeficere cum huiusmodi monachi libertati schismatichorum assueti, difficile, imo non sine aliorum spirituali periculo, vitam unitorum monachorum ducere possint ... ». Quae-

nam fuit resolutio data? « Congregatio post disputatum articulum, an votum monachorum schismaticorum esset solemne, in quo tenuit ... votum esse simplex, quia Superiores schismatici carent omni iurisdictione et consequenter nequeunt recipere ad professionem, proptereaque dispensari facilius, ac Metropolitae facultatem dispensandi concedi posse, censuit ... eidem Metropolitae scribendum esse, ut in singulis casibus occurrentibus consulat Sedem Apostolicam, quae, ex circumstantiis, eorum negotio diligentius examinato, petitam facultatem vel concedet vel denegabit, prout in Domino visum fuerit expedire » [20].

Ut recte intelligatur hoc Responsum, oportet in memoriam revocare: vox « professio » tunc temporis, sive ante sive post Gregorii XIII Const. « Ascendente Domino » (22 maii 1584) [21], significabat tantum professionem cum votis solemnibus coniunctam. Nec de hac re ullum est dubium. Sufficit legere Conc. Tridentinum, quod in Sess. XXV, de Regular., simpliciter loquitur de professione, quam intelligit solemnem; nec aliter loquuntur auctores etiam Concilio posteriores, apud quos simpliciter professio emissioni votorum solemnium in Religione aequivalet [22]. Ad cuius professionis valorem, praeter illas

---

[20] *Prop. Congreg. part.*, 4, VII, 1634, n. 2, Atti, fol. 246; videri potest etiam in Codificatione Canonica Orientale, Fonti, fasc. I. (Romae, 1930), parte prima, pp. 423-425; et apud A. Coussa, o. c., p. 23.

[21] *Const.* « Ascendente Domino » vid. apud Gasparri, Codicis I. C., Fontes tom. I, pp. 272-273.

[22] Quamvis post Gregorium XIII auctores iam distinguunt professionem solemnem a simplici, tamen cum loquentur simpliciter de professione, eam intelligunt solemnem, ut patet, tum ex eo quod ei tribuunt effectus proprios tantum professionis solemnis, ut est solutio matrimonii rati non consumati, tum quia cum quaestio est de professione simplici expresse id animadvertunt, tum denique, quia, ut postea dicetur, professio religiosa cum votis simplicibus, saltem extra Religionem seu Ordinem, practice non admittebatur. Vid. Suarez, tract. VIII, lib III, c. 5, n. 3; Sanchez, *De Matrimonio*, lib. VII, disp. 25, nn. 15-17; Ażor, *Institutiones Morales*, Romae,

conditiones quae sive a iure naturali sive positivo requiruntur, necesse est, (in quo etiam omnes auctores conveniunt); ut ab habente ad hoc potestatem recipiatur [23]. Quoniam autem, praelati dissidentes, prout constat ex declaratione Ipsius Congregationis, illa potestate carent, necessario sequitur nullitas professionis ab eisdem receptae. Vota, igitur, in huiusmodi professione emissa non poterant valere qua solemnia. Ergo, (et est consequentia quam ipsam Congregatio enuntiat), votum monachorum dissidentium est simplex. Quoniam ex professione nulla potius videretur affirmanda plena libertas eius qui nulliter est professus, consequentia a Congregatione enuntiata, prima specie, posset alicui non legitima videri. Quare Responsum considerandum est sub luce disciplinae et doctrinae de hac re illo tempore vigentium.

Frequenter apud auctores saec. XV-XVII invenitur quaestio an professio nulla, saltem ut votum simplex obliget? Ad cuius quaestionis solutionem, duas vel, si vis, tres hypotheses auctores distinguebant, quas nos proponimus adducendo Salmanticenses, qui saec. XVII scribebant et totam quaestionem sequentibus verbis breviter complectebantur: « Circa quam, ut certum apud omnes supponimus, quod si nulla fuerit ob defectum aetatis, aut anni probationis, etiam ut votum simplex non obligat » [et afferunt cap. 15 sess. 25 Conc. Triden.]. « Et idem dicimus, quando impedimentum, ob quod fuit nulla professio etiam votum simplex cum illo emissum annullat: quia tunc prorsus irritavit professionem, etiam in vi voti

---

1600, lib. XII, c. V, p. 1482; SALMANTICENES, *Cursus Theologiae Moralis*, tom. III, tract. XV, c. I, punt. 3, n. 30, et c. 4, punct. 1.

[23] C. I. C. c. 572; SUAREZ, tract. VII, lib. V, cap. 10; lib. VI, cap. 11, (de professione in genere); tract. VIII, lib. III, cap. 7 (de professione simplici scholasticorum S. I.); AŻOR, o. c., lib. XII, cap. 4; REIFFENSTUEL, *Jus canonicum universum*, Venetiis, 1755. lib. III., Dec., tit. 31, de regular., § 6, n. 167; SALMANTICENSES, o. c., tract XV, c. 4, p.2

simplicis, ut defectus liberi consensus, et spontanei ex quocumque capite proveniat, ut ex ignorantia, metu, errore: quia cum illis etiam votum simplex manet invalidum. Quaestio, igitur, est, quando nulla est professio ex aliis capitibus, vel ob defectum potestatis in admittente, vel quia Religio non erat approbata, vel quia servus sine consensu domini, vel coniugatus sine consensu uxoris, professus est, et aliis casibus, in quibus diximus invalidam esse professionem. quaeritur an hic profitens teneatur, verb. grat. votum castitatis observare in vi voti simplicis, quamvis non ut solemne? Et non est quaestio, quando expresse profitens intendit solum se obligare ad illa vota in Religione: quia sic certum est nulla in eo obligationem gignere talia vota, si professio facta sit nulla, quia votum non operatur ultra intentionem voventis; si ergo vovens solum se vult obligare expresse ad illa vota, ut constituentia statum religiosum, seu ad illa in Religione observanda, non manebit ab eis obligatus, si alias sint nulla ad constituendum talem statum; et e contra, si vovens expresse se intendat obligare independenter a Religione, quis dubitare poterit astrictum manere illis votis, ut simplicia sunt, quamvis non ut solemnia? Quaestio ergo est, quando nec expresse intendit unum, nec aliud; sed absolute emittit vota, sicut fieri solet in professione, an si talis professio absolute facta sit nulla in casibus dictis hoc numero maneat profitens obligatus illis votis, ut simplicibus, licet non ut solemnibus? Duplex datur sententia, et utraque satis probabilis »[24].

Primam sententiam tenebant Caietanus, Tamburini et aliqui alii qui negabant nulliter professum in casibus dictis ligatum manere votis simplicibus, tum quia professio nulla nullam potest obligationem parere, tum quia intentio voventis est vovere in religione et ut fiat religiosus[25]; con-

---

[24] SALMANTICENSES, o. c., l. c., n. 33.

[25] CAIETANUS, in 2. 2, q. 88, art. 9, ad 3; TAMBURINI, lib. VIII, *de Matrimonio*, tract. VII, c. 4, § 1. Salmanticenses afferunt pro

trariam autem sententiam propugnabant plerique auctores cum Suarez, Sanchez, Azor, Navarrus [26], et hanc sententiam Salmaticenses vocabant communissimam [27]. Juxta hanc sententiam ille, qui professionem nullam ob aliquam ex supra dictis causis emiserit, vinculatus manebat voto simplici castitatis [28]. Fundamentum huius sententiae habetur in C. Quidam et C. Placet de convers. coniug., [29], in quibus, praesupposita nullitate professionis, ac proinde etiam votorum qua solemnium, supponitur existere in vovente aliquod vinculum, nempe votum simplex, quo voventi prohibetur sive debitum petere, quamvis possit illud coniugi petenti reddere, sive, altero coniuge mortuo, alterum inire matrimonium. Ratio huius rei ita declaratur a Sanchez: « Constat votum illud castitatis in ea professione emissum habere vim voti saltem simplicis et obligare coniugem in quantum se obligare potuit, nimirum, ut in eo matrimonio abstineat se a debiti exactatione, et ex eo per mortem soluto, ab alio matrimonio ineundo, et ab aliis, quae castitati promissae adversantur; at tenetur ad coniugem revocatus reddere illi debitum. Quod uterque textus allegatus decidit, ac eam rationem reddit, quod votum illud coniugem astrixerit, quatenus se obligare potuit; at potuit se ad haec obligare, cum ea non cedant

---

hac sententia lessium, qui potius contraviam docuit in suo tractatu De iustitia et iure, Lugduni, 1622, lib. II, c. 41, dub. 3.

26 SUAREZ, tract. VII, lib. VII, c. 1, n. 2; c. 22, n. 13, 20-21; lib. IX, c. 10, n. 4; SANCHEZ, o. c., lib. VII, disp. 34, nn. 13; AZOR, o. c., lib. XII, c. 1, q. 3; V. FILLIUCIO, tract. X. dee Matrimonio, part. II, c. 4, n. 143; NAVARRUS, Consilia, Venetiis, 1601, lib. III, cons. V.

27 SALMANTICENSES, o. c., l. c., n. 35.

28 Quaestionem de votis oboedientiae et paupertatis excludimus. Aliunde notum est plures auctores tenuisse, non posse extendi ad ista duo vota, quod de voto castitatis dictum est. Cf. SUAREZ, o. c., lib. VII, c. 2, n. 14; LESSIUS, l. c. n. 14.

29 *Decretales Gregorii IX*, lib. III, tit. 32, de convers. coniug., cap. 3 et 12.

in praesentis matrimonii praeiudicium »[30]. Quam rationem auctores extendunt et applicant ad professiones nullas in aliis supra memoratis casibus, scil. ad professionem servi, Domino dissentiente; ad professionem nullam ob defectum potestatis in eam recipiente, vel quia facta in religione non approbata. Sic Salmanticenses, post consideratum casum de nullitate professionis unius coniugis ob defectum consensus in altero coniuge, concludunt: « Ecce professio nulla, in vi votis simplicis obligans, et eadem ratio erit de aliis. In omnibus quidem praesumitur ius velle voventem, nisi de opposita constet voluntate, se obligare ad castitatem simpliciter, licet ex aliquo capite vitietur ipsa professio »[31].

Ex iis, et ex eo quod haec altera sententia communissima, ut aiunt Salmanticenses, tunc temporis erat, satis constat responsum S. Congregationis. Etenim, Haec declarat votum monachorum dissidentium non esse solemne, sed simplex; primum patet ex ratione ab ipsa Congregatione allata, scil. quia superiores convenienti carent potestate; alterum, quia consequenter ad communiorem opinionem auctorum, Congregatio iure praesumebat dissidentes monachos, etiamsi invalide professos, intentionem habere, quantum in eis erat, se castitatis vinculo ligandi; ac proinde, eos voto simplici, seu privato castitatis teneri. Quoniam autem praesumptio veritati cedere debet, et ne aliquis contra suam intentionem ligaretur, ob hanc rationem fortasse, et ut res accurate in unoquoque casu

---

[30] SANCHEZ, o. c., l. c. n. 2.

[31] SALMANTICENSES, o. c., l. c., n. 36. Post Codicem ob contrariam praesumptionem potius videtur negandum ex professione, ob aliquam ex causis in hac quaestione consideratis, invalida oriri obligationem castitatis vi voti simplicis seu privati: Cf. WERNZ-VIDAL, De Religiosis, Romae, 1933, n. 312; SCHAEFER, o. c., n. 282, 4; CONTE A CORONATA, *Institutiones iuris canonici*, vol. I, Taurini, 1939, n. 504; VERMEERSCH, *Periodica de re morali...*, XIV, pp. (4-5); vid etiam ID, *De Religiosis*, vol. I (1902), n. 219.

iudicaretur, decrevit S. Congregatio, ut singuli casus Romae subiicerentur.

8. Postrema fieri potest quaestio, nempe, an votum istud simplex sit religiosum, seu an qui eo ligatur, constituatur religiosus? Solutio huius quaestionis implicite continetur in solutione praecedenti quaestioni data. Omnes enim auctores qui hanc quaestionem tractarunt clare indicant, voventem per huiusmodi votum simplex religiosum non fieri; imo communiter, et quidem cum fundamento in C. Quidam, reiiciunt paucorum opinionem, qui volebant huic simplici voto vim tribuere obligandi ad religionem ingrediendam, ex. gr. post mortem alterius coniugis [32]. A fortiori, igitur, negandum est illud religiosum constituere eum qui tale votum emiserit.

Praeterea in memoriam est revocandum, religiosum tunc temporis considerari eum solum qui votis solemnibus adstringebatur, nec practice sola simplicia vota sufficere ad religiosum constituendum. Quod principium clare statutum invenitur apud St. Thomam [33], et omnino supponitur in ipso Conc. Trident., in cuius sess. XXIV, de Regul. professio semper intelligitur cum solemnibus votis coniuncta, non aliter. Pius V. strictam monialium clausuram urgere, eamque ad omnes Tertiarios quae vota solemnia non hebebant extendere voluit, et simul abstulit facultatem admittendi novitias iis religionibus quae vota solemnia et clausuram papalem non admitterent [34]. Controversia exorta occasione votorum simplicium in Societate Jesu optime confirmat traditionelem praxim et doctrinam. Quae practicas mutationes non subiit, ne quidem post latam Const. « Ascendente Domino » Gregorii XIII (22 maii 1584), etiam si ab omnibus admissum fuerit

32 SANCHEZ, c. c., l. c., nn. 9-12.

33 ST. THOMAS, Summa. 2. 2., q. 189. art. 2, ad 1.

34 PIUS V, Cons. « Circa Pastoralis » diei 29 maii 1566, apud Bullarium Romanum, edit. Taurin., tom. VII, pp. 447-450.

sola simplicia vota sufficientia esse ad statum religiosum constituendum; at huiusmodi vota de facto et in praxi ut religiosa non habebantur. Hac de causa, S. Franciscus Salesius, qui congregationem cum solis votis simplicibus et sine clausura ad apostolatum externum melius exercendum instituere volebat, Ordinem seu Religionem cum votis solemnibus et cum clausura condere debuit; e contra, S. Vincentius a Paulo, ne suas Filias apostolatu externo privaret, renuntiare maluit vitae religiosae, et societatem cum solis votis privatis fundare [35]. Haec sufficienter indicant in disciplina tunc vigenti nullum dari medium inter religiosum cum votis solemnibus et non religiosum, et professionem votorum simplicium ad constituendum statum religiosum practice nondum admitti. Cuius disciplinae perseverantiam saec. XVIII Reiffenstuel aperte testatur, cum affirmat omnes religiosos sui temporis, exceptis scholasticis Societatis Iesu, sola vota solemnia emittere [36].

Quare patet quaestioni propositae negative respondendum esse. Consequenter S. Cong. d. P. F., dum in suo Responso affirmat votum monachorum dissidentium esse simplex, non intendit de voto religioso seu religiosum constituente loqui, sed tantum de voto privato.

9. Concludere, igitur, ex hucusque dictis possumus, illam sententiam, tenendam esse, quae monachismo orientali dissidenti conditionem status religiosi denegat. Consequenter, etiamsi inter antiquum et hodiernum monachismum orientalem quidam historicus nexus sit omnino admittendus, intrinseca tamen inter utrumque habetur differentia, quatenus in monachismo dissidentium deficit illud elementum, nempe triplex votum publicum, sine quo,

---

[35] Cf. I. CREUSEN, De iuridica status religiosi evolutione synopsis historica, Romae, 1948, p. 35.

[36] REIFFENSTUEL, o. c., lib. III, tit 31, § 1, n. 14: at simul vide *Salmanticenses*, o. c., l. c. c. 1 punct. 3. n. 33.

ex voluntate Ecclesiae, status religiosus haberi non potest. Nam Ecclesia, ut ex dictis constat, non agnoscit professionem quae in monachismo dissidenti emittitur, neque in dissidentibus praelatis potestatem ad illam recipiendam necessariam admittit; ex quo necessario sequitur, vota in tali professione emissa nullius esse valoris, in ordine ad statum religiosum constituendum. Optandum tamen est, ut etiam hodiernus monachismus, quem plurimi bona fide ducti amplectuntur, atque ad virtutes efficacius et perfectius colendas profitentur, denuo et inseparabiliter in Ecclesiam Christi inseratur, ut nova irrigatus vita, floreat, ubertate fructuum antiquum monachismum longe superet et Vineam Christi ornet atque amplificet.

Clemens Pujol, S. I.

QUID SIT, SUMMA 10.000 FRANCORUM AUREORUM?

Die 13 Julii 1951, S. Congregatio Consistorialis, circa praescripta canonum 534 § 1 et 1532 § 1, N° 2 C. I. C., haec decrevit: « Cum mutata nummorum vis pecuniaeque mutatio alicubi peculiares difficultates induxerit in applicandis praescriptis can. 534 § 1 et 1532 § 1 N° 2 C. I. C., expostulatum est a Sancta Sede ut apta norma ediceretur.

« Quapropter SS.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII, re mature perpensa, hoc S. Congregationis Consistorialis decreto, benigne decernere dignatus est ut, perdurantibus praesentibus adiunctis et ad nutum S. Sedis, ad eandem Sedem Apostolicam sit recurrendum, quoties agatur de pecuniae summa quae decem millia francorum seu libellarum aureorum excedat ».

Quaestio autem remanet quo modo sit intelligenda summa illa 10.000 francorum seu libellarum aureorum, cum nullibi nummi aurei valorem legalem habeant ad solvenda debita, et ubique instrumenta commerciorum sint, sive monetae papyraceae (banknotes), sive et praesertim monetae bancariae (chèques). Rationabiliter vero intellegere licet, hanc fuisse mentem S. Congregationis, ut, fluctuantibus ubique monetis, quae exinde, tum in cambiis externis, tum in aptitudine sua ad emendum, valde sunt incertae, denique tandem notio quaedam determinata, immo immutabilis inveniretur, ad quam se referre possit mens humana, cum applicanda est lex quaedam canonica.

Neminem enim fugit discrimen quod intercedit inter systemata monetaria sive saeculi XIX, sive hodierna. Ete-

nim, usque ad primum bellum mundiale, omnes monetae definiebantur per pondus quoddam metalli pretiosi, sive auri, sive argenti, quod immutatum remansit per saeculum. Instrumenta manualia ad mercedes emendas vel debita solvenda erant indiscriminatim sive nummi, sive bancarum syngraphae, cum illimitata potestate solutoria. Syngraphas semper et in omnibus officinis Instituti emittentis convertere licebat in aurum, immediate, sine limite. In cambiis, « paritas » inter varias monetas erat determinata, ac proinde cambia minimas mutationes admittebant inter sic dicta « puncta auri » tum in ingressu, tum in egressu. Pretia mercium, salaria, stipendia, variari quidem poterant, sed intra limites exiguos. Firmis remanentibus monetis, omnia stabilia erant.

Nunc vero nummi aurei nullibi adhibentur ad solvenda debita aut merces emendas; instrumenta commerciorum sunt sive syngraphae bancariae (banknotes) quae ubique coacta circulatione, ut aiunt, fruuntur, i. e. non admittuntur ad conversionem in nummis aureis, — sive quas dicunt monetae scripturales (chèques, virements). Inde unitas monetaria uniuscuiusque Nationis illo tantum valore gaudet, seu potestate emendi, quem ei tribuit, hic et nunc, publica fiducia. Simul, cambia inter diversas monetas cotidie variantur, secundum legem oblati et quaesiti, i. e. secundum aestimationem quam tribuunt diversi campsores monetis quas emunt vel vendunt. Quae etiam cambia frequenter libera non sunt, ac proinde omnino arbitraria, cum ab « officiis cambiorum » determinentur, quae officia sibi monopolium reservant emendi vel vendendi monetas externas.

Talem publicam fiduciam et aestimationem augent vel minuunt : praeprimis, conditio praesens, mala vel bona, aerarii publici, in quantum nota est; insuper deficiens aequilibrium, et semper labile, inter debita et credita oeconomiae nationalis (bilancia dei pagamenti); quibus additur in mercatu interno, disproportio inter oblata et

quaesita, coniuncta cum superflua quantitate instrumentorum ad solvenda debita (inflatio monetaria); denique tandem nimia syngrapharum emissio, praesertim ex origine non commerciali, ab Instituto nationali emittente. Inde fit ut nostris diebus omnia, pretia, salaria, stipendia, etc., sint valde labilia et mobilia, propter monetas incertas, inflatas ut aiunt et vitiatas.

Inde orta est necessitas, quam S. Congregatio manifestat, inveniendi quid stabile et firmum, cui comparari valeant mobiles hodiernae monetae. Quod decernitur esse summa 10.000 francorum aureorum. At, quam viam invenire poterimus, ad hanc comparationem instaurandam? Tres methodos hic proponemus, quarum nulla vere apta aut perfecta nobis videtur.

Proinde dicamus *commercialem.* Cotidie enim, in mercatu publico, emuntur et venduntur nummi aurei. Immo mercatus ille, sive officialis, sive ut dicunt « parallelus » aut « niger », maxima gaudet activitate, cum inter merces aurum valde quaeratur ut refugium contra monetarum aegritudinem.

Sed proh dolor! et propter hanc ipsam rationem, nullus datur mercatus aeque « speculativus » ut est mercatus auri. Sub omnibus respectibus variantur pretia eius. Eadem die, in eodem loco, pro eodem pondere metalli, diversa sunt pretia, secundum quod agitur de nummis gallis (Napoléons), aut Helvetiae (Louis suisses), aut Unionis latinae, aut de auro puro in palacris (lingots). Immo evenit ut eadem palacra, diverso pretio aestimetur, secundum quod pondus eius in uncis aut grammis exprimitur, et pretium in dollaris aut francis. Diversa sunt pretia, eadem die, eius quantitatis, secundum loca: alia in New York, Paris, Beyrouth, Tanger, Singapour. Et praesertim secundum tempora, inter extrema valde

---

In Junio aurum in palacris afficiebatur, relate ad nummos 20 francorum aliquo « agio » ut aiunt, 40 %.

longinqua, et in brevissimo tempore diversa dantur pretia, ut exemplum afferimus.

Parisiis, 500 nummi 20 francorum (aut aequivalens pundus in auro puro) veniebant:

	die 4 Ianuarii 1952	*die 21 Februarii 1952*
Napoléon	2.180.000	2.550.000 Fr. fr.
Helvetia	2.075.000	2.445.000 Fr. fr.
palacrae 1 kg.	1.652.000	1.837.750 Fr. fr.

Sic, intra spatium sex hebdomadarum, eligere liceret inter 1.652.000 et 2.550.000 Fr. fr.: quod sane stabilem valorem non significat!

Notandum est insuper pretia auri, et praesertim nummorum, in mercatu sive publico, sive « nigro », semper necessario augeri supra valorem « normalem »: in mercatu « nigro », propter pericula clandestinitatis; in mercatu officiali, quia aurum, et praesertim nummi, valde quaeruntur ut instrumenta sive speculationis, sive constituendi thesaura.

Alteram *methodum* dicere possumus *legalem*. — Dantur, etiam nostris diebus, monetae quae, saltem theoretice, per pondus quoddam auri secundum legem definiuntur. Sint ut exemplum, dollari Foederatorum Statuum Americae. Banca foederalis emit aurum purum, pro pretio legali 35 doll. Unciam. Inde sic ratiocinare licet:

10.000 francorum aureorum continebant 2.903 gr. auri puri. Cum 1.000 grammi sint 35 unciae 2734 : 2903 gr. = 102 unc. 34; et 102.34 unc. × 35 doll. = 3582 dollari.

Licet ergo retinere valorem legalem hodiernum 10.000 francorum aureorum esse 3582 dollari. U. S. Proinde sufficiet illam summam convertere in nationalem monetam ut quaestioni nostrae responsum habeamus. At diversa sunt cambia: alia officialia, mediante « officio cam-

biorum », alia « libera » et admissa, alia nec officialia, nec admissa, sed « nigra ».

Si 3582 doll. U. S. in Fr. fr. convertere volumus, cambium officiale est : 1 doll. = 350 Fr. fr.; cambium liberum erat, die 4 Januarii 1952 : 1 doll. U. S. = 428 Fr. fr.; die vero 21 Februarii : 1 doll. U. S. = 482 Fr. fr. inde : in cambio officiali : 3582 × 350 = 1.253.700 ff.
in cambio libero, die 4 jan. 52 : 3582 × 428 = 1.533.096.
in cambio libero, die 21 feb. 52 : 3582 × 482 = 1.726.524.

Proinde, eadem die 21 Februarii, eligere licebat inter 1.253.700 et 1.726.524 Fr. fr., quae tamen aliquantulum differunt. Et retinendum est pretium legale dollari depressum esse ex industria « instituti cambiorum », pretium vero « liberum » esse exaggeratum, cum undique quaerantur dollari, ad fines cum commerciales tum extracommerciales, quippe qui sint effugia pro capitalibus. Insuper valor legalis dollari, in ipsis Statibus Foederatis, iam non respondet aptitudini eius emendi merces, cum ab anno 1934, quo determinatum fuit novum eius pondus in auro, usque ad nostros dies, iam omnia pretia, tum mercium, tum servitiorum, sint « in processu inflationis ». Quae « inflatio » explicatur sive ratione expensarum ultimi belli mundialis, sive denuo propter novos sumptus ad apparatus bellicos conficiendos. Unde denique, etiam si numerare velimus in hodiernis dollaris, comparationem valde incertam, immo ineptam habebimus cum 10.000 francorum aureorum anni 1914.

Manet denique ultima methodus, quam titulo « *viae scientificae* » ornamus, cum « numeros indices = index numbers » ut adiumentum assumat. Etenim in omnibus Statibus hodiernis, ministeria publica « statisticas » ut dicitur, instruunt, inde mensurari possunt mutationes pretiorum diversorum, relate ad tempus quoddam determinatum, quod eligitur ut « basis » (ex gr. 1939 = 100). Et diversae afferuntur « curvae » : pretia materiae primae, producta industriae vel agriculturae, minuta pre-

tia, sumptus ad vitam sustentandam, etc. Difficultates vero non desunt ut his numeris, statisticis et curvis usum facile faciamus, quarum prima, nec minor, haec est. Nostris diebus, iam nullae statisticae ad annum 1914 referuntur. Generatim, basis in usu est anni 1939, ultimi ante bellum mundiale; annus vero 1939 referebatur ad annum 1929, ultimum ante crisim mundialem; qui denique referebatur ad annum 1914, ultimum annum « oeconomiae normalis ». Diversas autem istas conversiones facere, ab anno 1952 ad annum 1914, hominis valde periti opus erit, si fieri tandem potest. Insuper, vanus erit ille labor, cum elementa ad statisticam et curvam obtinendam mutata sint, secundum tempora. Verbi gratia, elementa quae hodie sumuntur ad determinandum « pretium vitae », prorsus alia sunt, et secundum qualitatem, et secundum quantitates, et secundum « ponderationem » ut aiunt, ac illa quae afferebantur anno 1914.

Denique tandem, superflua esset ista comparatio, etiamsi perfecta obtineri posset. Nam modus noster vivendi hodiernus, valde diversus est a modo vivendi anni 1914. Ex una parte, res usuales, non modo minori pretio emuntur (caeteris paribus), sed etiam obiective minus valent, cum facilius producantur. Currus automobilis pro minori pretio obtinetur, quia quantitatem valde inferiorem laboris continet. Idem dic de mensura frumenti una. Et ex altera parte, in hoc consistit progressus oeconomicus, quod comunitas quaedam facilius et melius vivit, caeteris paribus, quam vivebat 50 annis antea. Parum autem verisimile videtur, hanc fuisse hypothesim et intentionem S. Congregationis, ut religiosi soli et ecclesiastici homines in conditionibus vitae anni 1914 remanerent, cum concives eorum omnes vivunt in conditionibus anni 1952.

Inde denique methodus quam scientificam dicebamus, perpauca nobis afferre valet.

Retineamus ergo priorem viam inter omnes sollerti procuratori favere, cui adstaret vir in re aeraria et oe-

conomica valde peritus. Cum sit valde speculativa, occasionem praeberet sane pulcherrima fortuita beneficia sumendi. At, ex eadem ratione, parum videtur conformis intentioni S. Congregationis. Facilior est altera : qui retineret hunc numerum 3.585 dollarium (circiter), et, considerata inflatione quae ab anno 1934 intervenit, illum duplicaret, ac postea verteret in monetam suam nationalem, sic agendo, usum sat communem servaret, cum pretia internationalia perplura nunc in dollaris aestimentur. Tertia denique via, veritatem « scientificam » offerre videretur, nisi esset plane impervia.

Denique tandem nobis manet aperta simplex et honesta methodus boni sensus communis, a qua numquam recedere melius est. Qui ergo sic ratiocinaretur : anno 1914, 10.000 francorum erant 2.000 dollariorum (paritas legalis : 1 doll. = 5 fr.). Illa duo milia saltem eadem emere poterant quae nunc procurare possunt 5.000 doll. Proinde, civis americanus qui nunc, cum reditu annuali 7.000 doll. vivit, in eadem conditione sociali inveniitur ac erat ille qui, anno 1914 cum reditu 2.000 doll. vivebat. Convertamus ergo illa 7.000 doll. secundum cambia nobis magis faventia; — ille sane ad veritatem scientificam non accederet, at ubi est illa scientifica veritas? sed ad bonam hanc moralem veritatem perveniret, quae communi sensui satisfacit, in consuetis vitae conditionibus.

G. JARLOT, S. I.

EDITIO TYPICA 1952 RITUALIS ROMANI

I. EDITIO TYPICA 1952

Rituale Romanum Pauli V pontificis maximi jussu editum aliorumque pontificum cura recognitum atque ad normam codicis juris canonici accommodatum Ss.mi D. N. Pii Papae XII auctoritate ordinatum et auctum. Editio typica. Typis polyglottis Vaticanis, 1952. VII, 878, 81 pp.

II. DECRETUM S. C. RITUUM DIE 25 JAN. 1952

Cum denuo excudenda sit nova editio Ritualis Romani, Sacra Rituum Congregatio nonnullas inducendas esse variationes et additiones statuit, ut magis ordinate tota distributio materiae haberetur iuxta recentiora decreta. Studio et opere absoluto, Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XII eam approbandam subiecit.

---

1 « Nella Udienza concessagli dal Santo Padre questa mattina (Venerdì 14 Marzo 1952), Sua Eminenza Rev.ma il Cardinale Clemente Micara, Pro-Prefetto della Sacra Congregazione dei Riti, ha offerto a Sua Santità il primo esemplare della nuova edizione del *Rituale Romanum* stampata dalla Tipografia Poliglotta Vaticana e diffusa dalla Libreria Editrice Vaticana. Questa importante *editio typica* presenta nei confronti della precedente aggiunte e riordinamenti vari apportati dalla Sacra Congregazione dei Riti, avendo collaborato al lavoro di cura dell'edizione il Rev. P. Massimiliano Brandys O. F. M., Consultore della Sacra Congregazione dei Riti per la Sacra Liturgia e il Rev. P. Giuseppe Pizzoni della Congregazione della Missione, Consultore della stessa Sacra Congregazione dei Riti, Direttore di *Ephemerides Liturgicae* e della Accademia di Liturgia » (*Osservatore Romano*, Sabato 15 Marzo 1952).

Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali S. Rituum Congregationis Pro-Profecto, novam hanc Ritualis Romani editionem ratam habuit et approbavit, atque uti typicam habendam esse decrevit, cui futurae editiones eiusdem Ritualis Romani conformandae erunt. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 25 Januarii 1952.

✠ Clemens Card. Micara *Episc. Veliternus*
S. R. C. Pro-Praefectus.

L. ✠ S.

† Alfonsus Carinci, Archiep. Seleuc.
Secretarius

III. EDITIO TYPICA 1952 RELATE AD EDITIONEM TYPICAM 1925

Editio typica 1952	Editio typica 1925	Notae
Tit. I caput unicum: De iis quae in administrazione sacramentorum generaliter servanda sunt		1
	Tit. I caput unicum	
Tit. II De sacramento baptismi:	Tit. II c. I-VIII	2
c. I-VIII	App. De baptismo	
c. IX		
Tit. III De sacramento confirmationis		
c. I De sacramento confirmationis rite administrando:	App. De confirmatione:	
n. 1-2	n. 1-2	
3	(3-4)	3a
4	5	
5-7	(6)	3b
8	7	
9	8	3c
10-11	9-10	
12	11	3d
— —	12	3e
13-17	13-17	
18	18	3f
19-20	(19-20)	3g
21	21	
22	— —	3h

EDITIO TYPICA 1952	EDITIO TYPICA 1925	NOTAE
c. II Ritus servandus a sacerdote sacramentum confirmationis aegroto in periculo mortis constituto administrante vi apostolici indulti	——	3i
c. III Ritus servandus a sacerdote sacramentum confirmationis fidelibus extra mortis periculum constitutis administrante ex sedis apostolicae delegatione	omnia quae habentur in App. De confirmatione post n. 21 usque ad ultimam alineam exclusive	3k
Tit. IV De sacramento poenitentiae:	Tit. III c.I-V	
c. I-V	Tit. VIII c. XXXIII et	
c. VI	(App. Ben. res. II n. 5)	4
Tit. V De ssmo eucharistiae sacramento:	Tit. IV c. I-III	
c. I-III	c. IV n. 1-27	
c. IV n. 1-27	—	5a
28	n. 28-29	
29-30	App. De Ssma Eucharistia	5b
c. V-VII		
Tit. VI De sacramento extremae unctionis: c. I n. 1-12	Tit. V c. I n. 1-12	
—	n. 13	6
n. 13-21	n. 14-22	
c. II-VIII	c II-VIII	
Tit. VII De exsequiis	Tit. VI	7
Tit. VIII De sacramento matrimonii:		
c. I-II	Tit. VII c. I-II	
c. III-IV	App. De Matrimonio	
c. V	App. Ben. non res. n. 44	
c. VI	Tit. VII c. III	
Tit. IX De benedictionibus		
c. I Regulae generales de benedictionibus	Tit. VIII c. I	
c. II Ordo ad faciendam aquam benedictam	Tit. VIII c. II	
c. III Benedictiones quibusdam diebus infra annum impertiendae n. 1-8	App. Ben. non res. n. 1-8	
n. 9-10	Tit. VIII c. IV-V	
n. 11	c. XIII-XVII	
n. 12-15	App. Ben. non res. n. 9-12	

Editio typica 1952	Editio typica 1925	Notae
c. IV Benedictiones diversis personis quocumque tempore impertiendae.		
n. 1-2	Tit. VIII c. XI-XII	
n. 3-6	App. Ben. non res. n. 45-48	
n. 7-9	n. 41-43	
c. V Benedictiones animalium: n. 1-4	App. Ben. non res. n. 64-67	
n. 5-7	n. 61-63	
c. VI Benedictiones domorum et locorum:		
n. 1	App. Ben. non res. n. 22	
n. 2	n. 16	
n. 3-5	Tit. VIII c. VI-VIII	
n. 6-7	App. Ben. non res. n. 20-21	
n. 8-9	n. 18-19	
n. 10	n. 17	
n. 11-13	n. 27-29	
n. 14-15	n. 33-34	
n. 16-17	n. 39-40	
n. 18	Tit. VIII c. X	
n. 19	App. Ben. non res. n. 36	
n. 20	n. 69	
n. 21	n. 37	
c. VII Benedictiones esculentorum et potuum n. 1	App. Ben. non res. n. 57	
n. 2	n. 38	
n. 3-4	n. 55-56	
n. 5-7	n. 58-60	
n. 8	Tit. VIII c. XIX	
n. 9	App. Ben. non res. n. 68	
n. 10	n. 35	
n. 11	Tit. VIII c. XVIII	
c. VIII Benedictiones diversarum rerum usui humano vel etiam sacro destinatarum: n. 1	Tit. VIII c. III	
n. 2-4	App. Ben. non res. n. 13-15	
n. 5	Tit. VIII c. IX	
n. 6	App. Ben. non res. n. 23	
n. 7	n. 24	10a
n. 8-9	n. 25-26	
n. 10-12	n. 30-32	
n. 13-18	n. 49-54	
n. 19-20	—	8ab
n. 21	n. 70	

EDITIO TYPICA 1952		EDITIO TYPICA 1925	NOTAE
c. IX Benedictiones reservatae episcopis aliisque ordinariis, et sacerdotibus speciali facultate instructis:	n. 1	Tit. VIII c. XX	
	n. 2	——	8c
	n. 3	App. Ben. res. I n. 13	
	n. 4-6	Tit. VIII c. XXI-XXIII	
	n. 7-12	App. Ben. res. I n. 3-8	
	n. 13	Tit. VIII c. XXIV	
	n. 14	App. Ben. res. I n. 2	
	n. 15-18	Tit. VIII c. XXV-XXVIII	
	n. 19-20	App. De consecratione altarium exsecratorum	
	n. 21	——	8d
	n. 22-23	Tit. VIII c. XXIX-XXX	
	n. 24	App. Ben. res. I n. 9	10b
	n. 25-27	n. 10-12	
	n. 28	n. 1	
c. X Benedictiones faciendae a sacerdotibus apostolicum indultum habentibus:			
	n. 1	(Tit. VIII c. XXXII)	8e
	n. 2	App. Ben. res. II n. 4	
		Tit. VIII c. XXXI	
	n. 4-6	App. Ben. res. II n. 1-3	
c. XI Benedictiones propriae nonnullorum ordinum regularium seu congregationum religiosarum:	n. 1-52	App. Ben. propr. n. 1-52	
	n. 53	——	8f
Tit. X De processibus		Tit. IX	11
Tit. XI Litaniae approbatae:	c. I-IV	Tit. X c. I-IV	12
	c. V	——	12
Tit. XII De exordizandis obsessis a daemonio		Tit. XI	13
App. I Hymni qui in quibusdam functionibus decantari solent		——	14
App. II Beneditio conjugum post 25 vel 50 annos in matrimonio transactos		——	8g
App. III Benedictiones approbatae pro aliquibus locis:	n. 1-2	App. Ben. appr. n. 1-2	
	—	n. 3	9
	n. 3-8	n. 4-9	
App. IV De libris habendis apud parochos		Tit. XII	15

IV. EDITIO TYPICA 1925 RELATE AD EDITIONEM TYPICAM 1952

Editio typica 1952	Editio typica 1925	Notae
Tit. I caput unicum: De iis quae in administratione sacramentorum generaliter servanda sunt	Tit. I caput unicum	1
Tit. II De sacramento baptismi rite administrando: c. I-VIII	Tit. II c. I-VIII	2
Tit. III De sacramento poenitentiae: c. I-V	Tit. IV c. I-V	
Tit. IV De ssmo eucharistiae sacramento: c. I-III	Tit. V c. I-III	
c. IV n. 1-27	c. IV n. 1-27	
—	n. 28	5a
n. 28-29	n. 29-30	
Tit. V De sacramento extremae unctionis: c. I- n. 1-12	Tit. VI c. I n. 1-12	
n. 13	—	6
n. 14-22	n. 13-21	
c. II-VIII	c. II-VIII	
Tit. VI De exsequiis	Tit. VII	7
Tit. VII De sacramento matrimonii: c. I-II	Tit. VIII c. I-II	
c. III	c. VI	
Tit. VIII De benedictionibus: c. I-II	Tit. IX c. I-II	
c. III	c. VIII n. 1	
c. IV-V	c. III n. 9-10	
c. VI-VIII	c. VI n. 3-5	
c. IX	c. VIII n. 5	
c. X	c. VI n. 18	
c. XI-XII	c. IV n. 1-2	
Benedictiones esculentorum praesertim in Pascha: c. XIII-XVII	c. III n. 11	
c. XVIII	c. VII n. 11	
c. XIX	n. 8	

EDITIO TYPICA 1952	EDITIO TYPICA 1925	NOTAE
Benedictiones ab episcopis vel ab aliis facultatem habentibus faciendae:		
c. XX	c. IX n. 1	
c. XXI-XXIII	n. 4-6	
c. XXIV	n. 13	
c. XXV-XXVIII	n. 15-18	
c. XXIX-XXX	n. 22-23	
c. XXXI	c. X n. 3	
c. XXXII	(n. 1)	8e
c. XXXIII	Tit. IV c. VI	4
Tit. IX De processionibus	Tit. X	11
Tit. X Litaniae: c. I-IV	Tit. XI c. I-IV	12
Tit. XI De exorcizandis obsessis a daemonio	Tit. XII	13
Tit. XII De libris habendis apud parochos	App. IV	15
APPENDIX:		
De baptismo	Tit. II c. IX	
De confirmatione: n. 1-2	Tit. III c. I n. 1-2	
n. 3-4	(n. 3)	3a
n. 5	n. 4	
n. 6	(n. 5-7)	3b
n. 7	n. 8	
n. 8	n. 9	3c
n. 9-10	n. 10-11	
n. 11	n. 12	3d
n. 12	—	3e
n. 13-17	n. 13-17	
n. 18	n. 18	3f
n. 19-20	(n. 10-20)	3g
n. 21	n. 21	
— —	n. 22	3h
omnia quae habentur post n. 21	c. III	3k
De ssma eucharistia	Tit. V c. V-VII	5b
De matrimonio	Tit. VIII c. III-IV	
De consacratione altarium exsecratorum	Tit. IX c. IX n. 19-20	
De benedictionibus:		
Benedictiones non reservatae: n. 1-8	Tit. IX c. III n. 1-8	
n. 9-12	n. 12-15	
n. 13-15	c. VIII n. 2-4	
n. 16	c. VI n. 2	

Editio typica 1952	Editio typica 1925	Notae
n. 17	n. 10	
n. 18-19	n. 8-9	
n. 20-21	n. 6-7	
n. 22	n. 1	
n. 23	c. VIII n. 6	
n. 24	n. 7	10a
n. 25-26	n. 8-9	
n. 27-29	c. VI n. 11-13	
n. 30-32	c. VIII n. 10-12	
n. 33-34	c. VI n. 14-15	
n. 35	c. VII n. 10	
n. 36	c. VI n. 19	
n. 37	n. 21	
n. 38	c. VII n. 2	
n. 30-40	c. VI n. 16-17	
n. 41-43	c. IV n. 7-9	
n. 44	Tit. VIII c. V	
n. 45-48	Tit. IX c. IV n. 3-6	
n. 49-54	c. VIII n. 13-18	
n. 55-56	c. VII n. 3-4	
n. 57	n. 1	
n. 58-60	n. 5-7	
n. 61-63	c. V n. 5-7	
n. 64-67	n. 1-4	
n. 68	c. VII n. 9	
n. 69	c. VI n. 20	
n. 70	c. VIII n. 21	
Benedictiones reservatae:		
I. Benedictiones faciendae ab Ordinario vel ab ejus delegato: n. 1	Tit. IX c. IX n. 28	
n. 2	n. 14	
n. 3-8	n. 7-12	
n. 9	n. 24	10b
n. 10-12	n. 25-27	
n. 13	n. 3	
II. Benedictiones faciendae a sacerdotibus apostolicum indultum habentibus:		
n. 1-3	Tit. IX c. X n. 4-6	
n. 4	n. 2	
n. 5	Tit. IV c. VI	4
Benedictiones propriae nonnullorum ordinum regularium seu congregationum re-		

EDITIO TYPICA 1952	EDITIO TYPICA 1925		NOTAE
ligiosarum a sacerdotibus apostolicum indultum habentibus adhibendae: n. 1-52	Tit. IX c. XI	n. 1-52	8f
Benedictiones approbatae pro aliquibus locis a sacerdotibus apostolicum indultum habentibus adhibendae: n. 1-2	App. III	n. 1-2	
n. 3		—	9
n. 4-9		n. 3-8	

V. NOTAE [2]

1. In editione 1952 *Textus Psalmorum et Canticorum,* si sunt completa, est *secundum novam conversionem latinam,* approbatam Motu proprio « In cotidianis precibus » 24-III-1945 [3]; quae conversio etiam in Rituali Romano adhiberi licet secundum responsum Pontificiae Commissionis de re biblica 22-X-1947 [4].

2. IN TITULO II DE SACRAMENTO BAPTISMI applicatum est decretum S. C. Rituum *de usu salivae in administratione baptismi* 14-I-1944 [5]; legitur in c. II n. 13, c. IV n. 34, c. V n. 16 et c. VI n. 32: « Postea Sacerdos pollice accipit de saliva oris sui (quod omittitur quotiescumque rationalis adest causa munditiei tuendae, aut periculum morbi contrahendi vel propagandi, quin tamen in tali casu tactus praescriptus cum sua formula omittatur); et tangit ... ».

---

2 CD = *Collectio decretorum ad sacram Liturgiam spectantium ab anno 1927 ad annum 1946.* Editio II (= Bibliotheca « Ephemerides Liturgicae », sectio practica, 1). Roma, Ed. Liturgiche, 1947.

3 AAS 37 (1945) 65-67; CD n. 103.

4 AAS 39 (1947) 508.

5 AAS 36 (1944) 28-29; CD n. 96.

3. In titulo III de sacramento Confirmationis applicatum est decretum S. C. de Disciplina Sacramentorum *de confirmatione administranda iis, qui ex gravi morbo in mortis periculo sunt constituti* 14-IX-1946[6]:

a) *Caput I de Sacramento Confirmationis rite administrando* (= caput II decreti supra commemorati) simile est appendici de confirmatione Ritualis 1925 praeter sequentia: loco n.3-4 editionis 1925 habetur: « 3. Chrisma, quod huic Sacramento administrando, etiamsi per Presbyterum simplicem, inservit, debet esse ab Episcopo, cum Apostolica Sede communionem habente, consecratum feria V in Coena Domini proxima superiore; neque adhibeatur vetus, nisi necessitas urgeat. Mox deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adiciatur, etiam iterato, minore tamen copia. Numquam vero licet sine Chrismate Confirmationem administrare vel illud ab Episcopis haereticis aut schismaticis accipere. Unctio autem ne fiat aliquo instrumento, sed ipsa Ministri manu capiti confirmandi rite imposita ».

b) loco n. 6 editionis 1925 habentur: « 5. Ex generali Apostolicae Sedis indulto, tamquam Ministris extraordinariis, facultas tribuitur conferendi Sacramentum Confirmationis, in casibus tantum et sub conditionibus infra enumeratis, sequentibus Presbyteris, iisdemque dumtaxat: *a*) Parochis proprio territorio gaudentibus, exclusis igitur Parochis personalibus vel familiaribus, nisi et ipsi proprio, licet cumulativo, fruantur territorio; *b*) Vicariis paroecialibus, atque Vicariis oeconomis; *c*) Sacerdotibus, quibus exclusive et stabiliter commissa sit in certo territorio et cum determinata ecclesia plena

[6] AAS 38 (1946) 349-358; CD n. 123; vide etiam eiusdem Congregationis de Disciplina Sacramentorum explanationes super hoc decreto 6-III-1947 in « Ephem. Liturg. » 62 (1948) 270-271 et concessionem facultatis Confirmationis 25-X-1948 in « Ephem. Liturg » 63 (1949) 325-326.

animarum cura cum omnibus Parochorum juribus et officiis. 6. Praefati Ministri Confirmationem valide et licite conferre valent per se ipsi, personaliter, fidelibus tantummodo in proprio territorio degentibus, personis non exceptis in locis commorantibus a paroeciali jurisdictione subductis; non exclusis igitur seminariis, hospitiis, valetudinariis, aliisque omne genus institutis etiam religiosis quoquo modo exemptis; dummodo hi fideles ex gravi morbo in vero mortis periculo sint constituti, ex quo decessuri praevideantur. Si hujusmodi mandati limites iidem Ministri praetergrediantur, probe sciant se perperam agere et Sacramentum nullum conficere, praeterea poenis obnoxios fore, de quibus infra num. 22 mentio fit. 7. Hac facultate uti possunt tum in ipsa episcopali urbe tum extra ipsam, sive sedes plena sit sive vacans, dummodo Episcopus dioecesanus haberi non possit vel legitime impediatur quominus Confirmationem per se ipse valeat conferre, nec alius praesto sit Episcopus communionem habens cum Apostolica Sede, licet titularis tantum, qui sine gravi incommodo ipsi suffici queat ».

c) fine n. 8 editionis 1925 addita sunt verba: (9). « Quando igitur hoc Sacramentum graviter aegrotantibus administrandum sit, Ministri erit pro singulorum aegrotorum captu eos edocere de his, quae scitu sunt necessaria, intentionem aliquam suscitando percipiendi hoc Sacramentum ad robur animae conferendum. Curari autem debet ab his, ad quos spectat, ut si dein convaluerint, opportunis institutionibus circa fidei mysteria, naturam atque effectum hujus Sacramenti diligenter instruantur ».

d) initio n. 11 editionis 1925 addita sunt verba: « 12. Confirmatio conferatur, servata disciplina per Codicem I. C. inducta et ad rem accomodata, nec non adhibito ritu, prout in capite sequenti exhibetur: gratis vero quovis titulo est conferenda ».

e) n. 12 editionis 1925 omissus est.

f) fine n. 18 editionis 1925 addita sunt verba: (18). Ex hac tamen cognatione non amplius oritur impedimentum ad matrimonium ».

g) loco n. 19-20 editionis 1925 habentur: « 19. Ad normam can. 798, collati Sacramenti adnotationem Minister extraordinarius in paroeciali confirmatorum libro peragat, ibidem inscribendo nomen suum ac nomina confirmati (et si ejus subditus non sit, etiam illius dioecesis et paroeciae), parentum et patrini diem et locum, adjectis demum verbis: ' Confirmatio collata est ex Apostolico indulto, urgente mortis periculo ob gravem confirmati morbum '. Adnotatio facienda est etiam in libro baptizatorum ad normam can. 470 § 2. Si confirmatus sit alienae paroeciae, quamprimum Minister ipse de collato Sacramento parochum confirmati proprium certiorem reddat per authenticum documentum, quod omnes notitias complectatur, de quibus supra. 20. Ministri extraordinarii tenentur praeterea singulis vicibus statim ad Ordinarium dioecesanum proprium authenticum nuntium mittere collatae a se Confirmationis, additis adjunctis omnibus in casu occurrentibus ».

h) novus est numerus: « 22. Presbyter qui nec a jure nec ex Romani Pontificis concessione facultatem habens Sacramentum Confirmationis ministrare ausus fuerit, suspendatur; si vero facultatis sibi factae limites praetergredi praesumpserit, eadem facultate eo ipso privatus exsistat ».

i) *Caput II* est novum et praebet *ritum servandum a sacerdote sacramentum Confirmationis aegroto in periculo mortis constituto administrante vi apostolici indulti* (= caput III decreti supra commemorati).

k) *Caput III* praebet ritum qui habetur in appendice de confirmatione Ritualis 1925 post n. 21 usque ad ultimam alineam *exclusive*.

4. In titulo IV de sacramento Poenitentiae, capite VI *Ritus absolutionis generalis et benedictionis papalis ex Apostolicae Sedis indulto pro regularibus ordinibus et tertiariis ad eos pertinentibus* (= Tit. VIII c. XXXIII Ritualis 1925), post ultimam alineam (« Si haec indulgentia ... immutato ») additum est: « Si vero adjuncta vetent integram adhibere formulam, Sacerdos, reliquis omissis, dicere poterit: Auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa, plenariam omnium peccatorum tuorum indulgentiam tibi impertior. In nomine Patris, et Filii, ✠ et Spiritus Sancti. Amen ». (Cfr. App. Ben. res. II n. 5 Ritualis 1925).

5. *a*) In titulo V de sanctissimo Eucaristiae Sacramento, capite IV de Communione infirmorum, dispositio S. C. Rituum *de Communione plurium infirmorum* 9-I-1929 [7] adiecta est: « 28. Quando sacra Communio distribuitur pluribus infirmis, qui in eadem quidem domo, vel in eodem hospitali, sed in distinctis cubiculis degant, Sacerdos ministrans in primo tantum cubiculo recitet plurali numero omnes preces ante infirmorum Communionem dicendas, ut supra (num. 14-17); in aliis autem cubiculis dicat tantummodo preces: Misereatur ... Indulgentiam ... Ecce Agnus Dei ..., semel Domine, non sum dignus ... Accipe frater (soror) ... vel Corpus Domini nostri Jesu Christi ...; et in ultimo cubiculo addat versum: Dominus vobiscum, cum suo responsorio, et cum sequente oratione plurali numero dicenda: Domine sancte ..., ibique, si qua particula superfuerit, benedictionem eucharisticam impertiatur, ac tandem reliquas preces praescriptas in ecclesia de more persolvat » [8].

---

[7] AAS 21 (1929) 75; CD n. 15.

[8] Haec dispositio de Communione plurium infirmorum post experientiam 20 annorum pluribus inepta videtur duabus rationibus: Primo ipse ritus praepositus dicendus videtur ritus obtruncatus, nam ritus Communionis *individuorum* infirmorum modo

b) In capite VII *Litaniae, preces et orationes quae dicuntur in expositione et repositione SS.mi Sacramenti pro Oratione XL horarum, ubi haec solemnis Supplicatio juxta Instructionem Clementinam peragitur,* Litanias Sanctorum praecedunt sequentes numeri: « I. In expositione. 1. Pro expositione solemni Ssmi Sacramenti in Oratione XL Horarum primum celebratur Missa votiva

---

arbitrario mutilatus est, ut oriretur ritus Communionis *communitatis* infirmorum. Deinde etiam ille ritus abbreviatus in hospitalibus catholicis, quorum cura animarum optime ordinata est, observari non potest, cum etiamnunc nimis longus sit; quia enim in hospitalibus catholicis veri nominis colitur Communio frequens immo quotidiana, plures sacerdotes simul, per horam dimidiam usque ad integram, distribuunt infirmis Communionem, dicentes tantum « Accipe frater (soror) ... » vel « Corpus Domini nostri Jesu Christi ... »; experientia docet ordinationem S. C. Rituum non observari, cum nemo ad impossibile teneatur. Notum est, quomodo ars casuistica ad difficultates diminuendas ex pluribus cubiculis unum construere conetur.

Quis est concretus usus in hospitalibus catholicis permultis? Missa communitaria in oratorio hospitalis per instrumentum radiophonicum transmittitur, ut infirmi in omnibus aulis ac cubiculis Missam audire valeant; post preces *Celebrantis* « Misereatur ... Indulgentiam ... Agnus Dei ... » et per « Domine non sum dignus ... » Celebrans in oratorio Communionem distribuit et alii sacerdotes aulas ac cubicula hospitalis percurrentes Communionem porrigunt infirmis, qui eo intrante et Communione accepta, duce infirmario(a) in communi preces recitant. Si tantum unus sacerdos in nosocomio praesto est et distribuenda est Communio infirmis extra Missam, sacerdos peragit quae habentur Tit. V c. IV n. 17-18, per instrumentum radiophonicum transmissa, vel in oratorio vel in una aula (quae diebus successivis permutatur); deinde secundum n. 19 et 20 distribuit in omnibus aulis ac cubiculis Communionem; in ultima aula (quae diebus successivis permutatur) peragit n. 22-23 et in oratorio n. 24.

Maxime a pluribus sacerdotibus curae infirmorum addictis desideratur nova dispositio huius materiae, nitide composita ac concretis circumstantiis adaptata; omnis enim catholicus anxius est, si, etiam concretis circumstantiis coatus, praescripta Romana non stricte observare potest.

solemnis de eodem Ssmo Sacramento justa Instructionem a Sacra Rituum Congregatione die 7 Aprilis 1927 editam, quae etiam circa alias Missas durante hac expositione servanda est [9]. 2. Finita Missa solemni fit intra ecclesiae ambitum Processio cum eodem Ssmo Sacramento, in qua Hymnus Pange lingua cantatur usque ad stropham Tantum ergo exclusive, repetendo eumdem Hymnum usque dum Processio terminata fuerit. 3. Peracta Processione, Ssmum Sacramentum pro adoratione in throno exponitur, atque tunc cantantur duae ultimae strophae Tantum ergo et Genitori, et fit a Celebrante solita incensatio Ssmi Sacramenti. 4. Finito Hymno et omisso V. Panem de caelo, Cantores statim inchoant Litanias Sanctorum, ut infra, Choralibus vel fidelibus moro solito respondentibus, una cum Psalmo 69 Placeat tibi, Deus et subsequentibus VV., ut infra, usque ad V. Dominus vobiscum, inclusive; atque Celebrans stans dicit Orationes, quae infra sequuntur ».

In fine adiuncti sunt numeri sequentes: « II. In reposition. 1. Pro repositione Ssmi Sacramenti die tertia, celebrata prius Missa votiva solemni, ut prima die, Celebrans ad scamnum planetam et manipulum deponit et, sumpto pluviali, ad altare vertitur, ubi, facta in plano debita reverentia, in ultimo gradu genua flectit. 2. Cantantur primum Litaniae Sanctorum cum Psalmo 69 et subsequentibus Precibus, ut prima die, usque ad V. Dominus vobiscum et Orationes exclusive; deinde reponitur Ssmum Sacramentum e throno in mensa altaris, et, imposito incenso in duobus thuribulis pro processione, Celebrans Ssmum Sacramentum de more incensat. 3. Deinde fit Processio cum Ssmo Sacramento per ambitum ecclesiae, ut prima die, cantando Hymnum Pange lingua usque ad stropham Tantum ergo exclusive.

---

[9] AAS 19 (1927) 192-193; CD n. 4. « die 7 Aprilis » est error typographicus: debet esse « die 27 Aprilis ».

4. Finita Processione et collocato iterum Ssmo Sacramento super altaris mensa, Cantores intonant Tantum ergo, et cantantur duae ultimae strophae, ad quas Celebrans iterum Ssmum Sacramentum de more incensat. 5. Postea a Cantoribus subjungitur V. Panem de caelo, et Celebrans assurgens cantat Oremus. Deus qui nobis sub Sacramento etc. una cum reliquis Orationibus, quae prima die in expositione jam dictae sunt, usque ad V. Fidelium animae. Quibus finitis, datur cum Ssmo Sacramento more solito benedictio, et sacra Hostia in tabernaculo reconditur ».

6. In titulo VI de sacramento Extremae Unctionis, capite I, suppressus est numerus 13 Ritualis 1925, quia hoc casu praescripta numeri 14 Ritualis 1925 observanda sunt.

7. In titulo VII de Exsequiis, capite IV (pagina 303), verba « In Anniversario » praecedunt « pro Diacono Cardinali, qui in ordine Presbyteratus non fuerit constitutus ... ». Ratio est, quia hodie tantum anniversarius dies defuncti diaconi cardinalis, qui in ordine presbyteratus non est constitutus, possibilis est, nam secundum CIC 232 § 1 cardinales saltem in ordine presbyteratus constituti esse debent.

8. Additae sunt septem novae benedictiones, scil.:

a) In Tit IX c. VIII n. 19 *Benedictio nosocomiorum aliarumque domorum aegrotis curandis*; vide decretum S. C. Rituum 18-VII-1939 [10].

b) In Tit IX c. VIII n. 20 *Benedictio instrumentorum ad montes conscendendos*; vide decretum S. C. Rituum 14-X-1931 [11].

---

[10] AAS 32 (1940) 197-199; CD n. 51. Cfr. decretum S. C. Rituum 25-VII-1940 in « Ephem. Liturg. » 54 (1940) 134-136 et CD n. 68.

[11] AAS 23 (1931) 446; CD n. 26.

c) In Tit. IX c. IX n. 2 *Benedictio specialis cujuslibet indumenti sacerdotalis*; ex Pontificali Romano.

d) In Tit. IX c. IX n. 21 *Ritus benedicendi linteum ex lino vel cannabe confectum quod ex speciali indulto apostolico loco petrae seu altaris portatilis in regionibus missionum in celebratione Missae adhiberi valeat*; vide decretum S. C. Rituum 12-III-1947 [12].

e) In Tit. IX c. X n. 1 (loco Tit. VIII c. XXXII Ritualis 1925) *Ritus benedictionis papalis super populum elargiendae servandus a sacerdotibus quibus a S. Sede hujusmodi facultas indulta est*; vide decretum S. C. Rituum 12-III-1940 [13].

f) In Tit IX c. XI n. 53 *Benedictio rosarum in honorem sanctae Teresiae ab Infante Jesu propria Ordinis Carmelitarum*; decretum S. C. Rituum 9-XII-1925.

g) App. II *Benedictio conjugum post 25 vel 50 annos in matrimonio transactos.*

9. Remota est *Benedictio cinguli in honorem S. Philumenae virg. et mart. pro sodalitate sub ejus titulo Parisiis canonice erecta* (App. Ben. appr. n. 3 Ritualis 1925).

10. Duae VARIATIONES IN BENEDICTIONIBUS notandae sunt:

a) In Tit. IX c. VIII n. 7 *Benedictio viae ferreae et curruum* in fine addita sunt verba: « Benedictio solemnior viae ferreae et curruum habetur infra pag. 609, inter benedictiones reservatas ».

b) In Tit. IX c. IX n. 24 *Benedictio telegraphi* in fine additus est numerus: « 4. Finita benedictione cantatur vel recitatur hymnus Te Deum laudamus cum V.

---

12 « Ephem. Liturg. » 62 (1948) 381-384.

13 AAS 32 (1940) 199-201; CD n. 61. Vide etiam solutionem dubii n. 10 S. C. Rituum 13-VI-1950 in « Ephem. Liturg » 64 (1950) 359-366.

Benedicamus, et oratione Deus, cujus misericordiae, etc., ut infra, pag. 654 ».

11. In titulo X de processionibus, capite IV *De processione in litaniis majoribus in festo S. Marci evangelistae, et in minoribus triduo Rogationum ante Ascensionem Domini* post numerum 6. additae sunt Litaniae omnium Sanctorum, in cantu.

12. In titulo XI Litaniae approbatae quae etiam publice seu communiter in ecclesiis et oratoriis publicis dici possunt, capite III *Litaniae Lauretanae B. Mariae Virg.*, addita est invocatio « Regina in caelum assumpta »; vide decretum S. C. Rituum 31-X-1950 [14]. Novum est « Caput V. *Litaniae omnium Sanctorum.* Exstant post Psalmos poenitentiales Titulo VI, cap. III, pag. 200; atque in cantu Titulo X, cap. IV, pag. 773 ».

13. In titulo XII de exorcizandis obsessis a daemonio, capite I, numerus 3 sic mutatus est: « In primis, ne facile credat, aliquem a daemonio esse obsessum, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis qui morbo aliquo, praesertim ex psychicis, laborant. Signa autem ... » (loco: « dignoscitur ab iis, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant »), secundum dispositionem S. C. S. Officii 1-IV-1947.

14. Appendix I *Hymni qui in quibusdam functionibus decantari solent* nova est; continet hymnos: Veni Creator Spiritus - Vexilla Regis prodeunt - Stabat Mater dolorosa - Te Deum laudamus.

15. In appendix IV de libris habendis apud parochos, capite III *Forma describendi confirmatos in se-*

[14] AAS 42 (1950) 793-795.

cundo libro, in fine addita sunt verba: « Porro si Parochus ipse vel alius Sacerdos vi Indulti Apostolici Confirmationis Sacramentum administraverit, hoc loco pariter adnotationem peragere debet juxta notata supra tit. III, cap. I, num. 19, pag. 110 ».

VI. ANNOTATIONES

Rituale Romanum secundum PAULUM V comprehendit « sacros et sinceros Catholicae Ecclesiae ritus, qui in Sacramentorum administratione, aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis, qui curam animarum gerunt » [15].

Ergo Rituale Romanum in oppositione ad « Missale » est *Sacramentale*, quia tantum ritus in sacramentorum et sacramentalium administratione servandos praebet, in oppositione ad « Pontificale » est *Sacerdotale*, quia tantum de functionibus muneri sacerdotali propriis agit, et in oppositione ad alias liturgias et propria diversa est *Romanum*, quia universalis Ecclesiae Romanae est.

Rituale Romanum PAULI V iussu editum est, a BENEDICTO XIV (1752) et a PIO X (1913) castigatum, a PIO XI ad normam Codicis Iuris Canonici accommodatum in editione typica anno 1925, et Ssmi D. N. PII papae XII auctoritate ordinatum et auctum in editione typica anno 1952.

Occasio huius editionis typicae 1952 est exhauritio editionis 1925 (ac eius reimpressionis 1927) typis polyglottis Vaticanis [16].

Novitas editionis 1952 relate ad editionem 1925 exigua est, sicut patet ex notis antecedentibus. Nobis non

---

[15] PAULUS V, Constitutio Apostolica *Apostolicae Sedi* 17-VI-1614; vide initium Ritualis Romani.

[16] Massimiliano BRANDYS O. F. M., *La nuova edizione del Rituale Romano*: « Osservatore Romano » 10-11 Marzo 1952.

praebetur reformatio Ritualis iuxta criticam artem textualem, modernam investigationem scientiae liturgicae ac historicae et novissima postulata circumstantiarum hodiernarum (quae magis magisque adaptationem vitalem Liturgiae exigunt). Scopus novae editionis valde modestus est: inductae sunt variationes additionesque iuxta recentiora (post annum 1925 edita) decreta et compositio libri reordinata est.

A. Variationes additionesque iam indicavimus; volumus hic tantum quaedam adiungere, quae huic editioni etiam utilia videntur.

1. Relate ad Ssmae Eucharistiae sacramentum maximi momenti sunt sequentia documenta S. C. de Disciplina Sacramentorum: Instructio 26-III- 1929 ad rev.mos Ordinarios *de quibusdam vitandis atque observandis in conficiendo sacrificio Missae et in Eucharistiae sacramento distribuendo et asservando* [17] — Instructio 26-V-1938 *de sanctissima Eucharistia sedulo custodienda* [18] — *Hortatio* 10-II-1941 *de instructione, die 26 mensis Maii 1938 data, studiosius servanda* [19] — 1941 (?) *de custodia clavis tabernaculi* [20].

2. Ad Tit. IX c. I *Regulae generales de benedictionibus* n. 6: Color tempori conveniens est vel color Proprii de Tempore, vel color Officii aut Missae diei si benedictio cum iis habet connexionem.

3. Ad Tit. IX c. II *Ordo ad faciendam aquam benedictam*: Pro benedictione aquae *Celebrans* ante Missam in diebus Dominicis utitur stola *coloris diei,* alius vero sacerdos qui perficit hanc benedictionem ante Missam in die-

[17] AAS 21 (1929) 361; CD n. 112.
[18] AAS 30 (1938) 98; CD n. 118.
[19] AAS 33 (1941) 57; CD n. 119.
[20] « Ephem. Liturg » 57 (1943) 8-9; CD n. 120.

bus Dominicis vel quandoque opus sit, semper stola coloris violacei. Celebrantem stola coloris diei indutum esse, deducitur ut nobis videtur ex rubricis Missalis Romani: « Die Dominica, in sacristia praeparato sale et aqua benedicenda, sacerdos celebraturus Missam, vel alius ad id deputatus, alba superpelliceo indutus cum stola circa collum, primo dicit ... » et « Finita benedictione, sacerdos celebraturus indutus pluviali *coloris officio convenientis*, accedit ad altare ... »; ergo hic supponitur Celebrantem iam esse alba ac stola coloris officio convenientis indutum.

4. Ad Tit. IX c. III n. 7 *Benedictio candelarum in festo S. Blasii episcopi et martyris* vide decreta S. C. Rituum 16-I-1936 [21] et 3-III-1936 [22]: haec benedictio non « debet » dari candelis accensis; per totam diem dari potest; propter fideles, qui non possunt aliis diebus praeter Dominicam ecclesiam adire, etiam dari valet Dominica festum S. Blasii insequenti. Nobis tamen videtur haec benedictio S. Blasii singulis diebus anni solemniter dari posse sine connexione cum Missa diei.

5. Ex Litteris Encyclicis Pii papae XI *Quas primas* 11-XII-1925 praecipitur, ut in festo D. N. I. C. Regis, postremo mensis Octobris Dominico die, *generis humani Sacratissimo Cordi Iesu Consecratio* quotannis renovetur. Epistula S. C. Rituum 17-X-1925 [23] Ordinariis transmissa est formula huius consecrationis. Secundum decretum S. C. Rituum 28-IV-1926 [24] ad libitum etiam in festo Sacratissimi Cordis Iesu peragi potest haec consecratio generis humani, adhibenda formula per Epi-

---

21 « Ephem. Liturg » 51 (1937) 65; CD n. 35.
22 « Ephem. Liturg. » 51 (1937) 130; CD n. 36.
23 Decr. Authen. C. S. R. n. 4396.
24 Decr. Authen. C. S. R. n. 4402.

stulam diei 17 Octobris 1925 ad Ordinarios transmissa; in festo D. N. I. C. Regis, praeter consecrationis formulam, etiam recitandae sint Litaniae de Sacro Corde Iesu.

B. Nova ordinatio modo apto sub claris titulis omnia comprehendit, quae inter se cohaerent sed usque nunc et in corpore et in appendice divisa erant. Praesertim benedictiones nunc sic ordinatae sunt, ut facilius inveniri possint [25]. Intentio S. C. Rituum videtur fuisse, ut sacerdotibus praeberetur liber, qui sua dispositione commodum immediatum obsequeretur. Aliis verbis, hoc novum Rituale dici potest commodum *Promptuarium* vel *Manuale* vel *Vademecum* sacerdotum, in quo materia maxime diversa quodam modo convenienti ordinata est.

Si tamen modo academico Rituale Romanum consideratur secundum suam genuinam naturam, nova ordinatio nobis non videtur plene satisfacere et quidem propter has rationes. Quamvis etiam in editione 1952 habeatur distinctio inter *corpus* Ritualis et eius *appendicem*, ratio huius distinctionis nobis non patet. In *corpore* enim Ritualis ponenda sunt ea, quae sensu stricto sunt Ritualis, i. e. illae functiones quae essentialiter pertinent ad *Sacramentale, Sacerdotale* ac universalem Ecclesiam *Romanam,* cum in eius *appendice* aliae res adiungi possint quae obsequuntur curam animarum ac commodum sacerdotum.

1. Propter hoc principium fundamentale divisionis ex corpore in appendicem forse removenda videntur:

a) Omnia quae per se pertinent ad Missale: Tit. V c. V Instructio pro sacerdote facultatem habente bis Missam eadem die celebrandi — Tit. V c. VI In-

---

[25] Fortasse etiam melius *Benedictio ad omnia,* quae nunc est n. 21 in Tit. IX c. VIII, formasset caput speciale, nam non tantum pertinet ad caput VIII.

structio pro sacerdote caecutiente circa Missarum celebrationem eidem ex indulto apostolico concessam.

b) Omnia quae per se pertinent ad Pontificale, etiamsi a sacerdote speciali facultate instructo peragi possunt: Tit. II c. VII Ritus servandus cum episcopus baptizat — Tit. IX c. IX Benedictiones reservatae episcopis aliisque ordinariis, et sacerdotibus speciali facultate instructis.

c) Omnia quae sacerdos non ex se sed tantum virtute apostolici indulti vel ex Sedis Apostolicae delegatione peragere potest: Tit. II c. IX Benedictio fontis seu aquae baptismalis per formulam breviorem ex indulto Apostolicae Sedis — Tit. III De sacramento Confirmationis — Tit. IV c. VI Ritus absolutionis generalis et benedictionis papalis ex Apostolicae Sedis indulto pro regularibus ordinibus et tertiariis ad eos pertinentibus — Tit. VIII c. III Benedictio nuptialis extra Missam danda ex apostolico indulto quando Missa non dicitur — Tit. VIII c. IV Preces recitandae extra Missam super conjuges ex Apostolicae Sedis indulto quando benedictio nuptialis non permittitur — Tit. IX c. X Benedictiones faciendae a sacerdotibus apostolicum indultum habentibus.

d) Omnia quae per se pertinent ad propria dioecesium, ordinum regularium seu congregationum religiosarum et aliquorum locorum: Tit. IX c. XI Benedictiones propriae nonnullorum ordinum regularium seu congregationum religiosarum.

e) Omnia quae pertinent ad exercitia pietatis: Tit. XI Litaniae approbatae [26].

2. Propter idem principium ex appendice in corpus ponenda dicerem: App. II Benedictio conjugum

---

[26] « Processiones » revera pertinent ad sacramentalia.

post 25 vel 50 annos in matrimonio transactos — App. IV De libris habendis apud parochos [27].

3. Praeterea etiam in ipso corpore Ritualis bene inter se distinguenda sunt sacramenta et sacramentalia; quare ex capitibus de sacramentis ad capita de benedictionibus (sive in corpore sive in appendice) removenda videntur: Tit. II c. VIII Benedictio fontis seu aquae baptismalis extra pervigilium Paschae et Pentecostes — Tit II c. IX Benedictio fontis seu aquae baptismalis per formulam breviorem ex indulto Apostolicae Sedis — Tit. IV c. VI Ritus absolutionis generalis et benedictionis papalis pro regularibus ordinibus et tertiariis ad eos pertinentibus — Tit. VIII c. V Benedictio mulieris praegnantis in periculo partus — Tit. VIII c. VI Benedictio mulieris post partum.

4. Ut clarius perspiciatur — ut eam intelligimus — genuina natura Ritualis Romani, componimus ex Ritualis 1952 purum vel expurgatum Rituale Romanum, cuius divisio saltem secundum structuram generalem est ab intrinseco:

C. Hodie Rituale modo particulari fruitur studio ac cura mundi catholici: S. Sedes iam approbavit Rituale Gallicum et Germanicum [28] et in multis regionibus, praesertim missionum, promovet Rituale in lingua vulgari [29].

---

[27] Hoc caput enim cohaeret cum legitima sacramentorum administratione. App. I Hymni qui in quibusdam functionibus decantari solent, nobis videtur pars superflua, nam prima non praebet omnes hymnos, qui in Rituali adhibentur, et secundo in indice hymnorum omnes reperiri possunt.

[28] *Rituale Parvum. Rituel latin-français authorisé par la S. Congrégation des Rites le 28 nov. 1947.* Turonibus, Mame, 1948. — *Collectio Rituum ad instar appendicis Ritualis Romani pro omnibus Germaniae dioecesibus a Sancta Sede approbata.* Ratisbonae, Pustet, 1950.

[29] J. M. Hanssens, *Lingua liturgica*: «Enciclopedia Cattolica» 7 (1951) 1380: «Nel 1941 e nel 1942 è stata concessa alle

RITUALE ROMANUM PURUM VEL EXPURGATUM	EDITIO TYPICA 1952
t I De iis quae in administratione sa- ramentorum generaliter servanda sunt	Tit. I
t. II De sacramento baptismi	Tit. II c. I-VI
t. III De sacramento poenitentiae	Tit. IV c. I-V
t. IV De Ssmo Eucaristiae sacramento	Tit. V c. I-IV et VII
t. V De sacramento matrimonii	Tit. VIII c. I-II
t. VI De sacramento extremae unctio- nis	Tit. VI c. I-II
t. VII De cura infirmorum et morien- tium	Tit. VI c. III-VIII
t. VIII De exsequiis	Tit. VII
t. IX De benedictionibus:	
I Regulae generales de benedictioni- bus	Tit. IX c. I
II Benedictiones locorum ac diversa- rum rerum usui sacro destinatarum	Tit. II c. VIII Tit. IX c. II Tit. IX c. VI n. 2 Tit. IX c. VIII n. 1-4, 13-16
III Benedictiones quibusdam diebus infra annum impertiendae	Tit. IX c. III
IV Benedictiones diversis personis quocumque tempore impertiendae	Tit. IX c. IV Tit. VIII c. V-VI App. II
V Benedictiones animalium	Tit. IX c. V
VI Benedictiones domorum et locorum	Tit. IX c. VI n. 1, 3-21
VII Benedictiones esculentorum et po- tuum	Tit. IX c. VII
VIII Benedictiones diversarum rerum usui humano destinatarum	Tit. IX c. VIII n. 5-12 n. 17-20
IX Benedictio ad omnia	Tit. IX c. VIII n. 21
t. X De processionibus	Tit. X
t. XI De exorcizandis obsessis a dae- monio	Tit. XII
t. XII De libris habendis apud paro- chos	App. IV
ppendix: cetera omnia; quia in hac parte divisio tantum ab extrinseco fieri potest, variis modis fit immo bene!	

Maxime ubique terrarum laudatur Rituale Germanicum propter suam criticam artem textualem, applicationem scientiae liturgicae ac historicae et vitalem adaptationem circumstantiis modernis.

Tamen omnium horum Ritualium regionalium manet editio typica Ritualis Romani fundamentum ac exemplum. Etiamsi ubique habentur commoda Promptuaria vel Manualia vel Vademecum sacerdotum, sacerdotes tamen hisce editionibus abbreviatis ac adaptatis contenti esse non debent: unusquisque, praeter suum Missale et Breviarium, possideat suum librum sacerdotale, quod est Rituale Romanum. Revera est thesaurus spiritualis.

HERMAN SCHMIDT S. J.

---

missioni della Nuova Guinea, Cina, Giappone, Indocina, India, Indonesia e Africa la facoltà di tradurre e di usare il Rituale romano in lingua volgare, riservando il latino solo per le formole essenziali. Le traduzioni sono compiute da una Commissione sotto la presidenza del Rappresentante pontificio locale e da essa approvate ad decennium ».

MONUMENTA

6 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(A. A. S. XXXXIV [12-28 apr. 1952] p. 270)

I.

NUNTIUS RADIOFONICUS

« De conscientia christiana in iuvenibus recte efformanda ». *

1. La famiglia è la culla della nascita e dello sviluppo di una nuova vita, la quale, affinchè non perisca, ha bisogno di essere curata ed educata: diritto, questo, e dovere fondamentale dato e imposto immediatamente da Dio ai genitori. Contenuto e scopo della educazione nell'ordine naturale è lo sviluppo del bambino per divenire un uomo completo: contenuto e scopo della educazione cristiana è la formazione del nuovo essere umano, rinato nel battesimo, a perfetto cristiano. Tale obbligo, che fu sempre co-

---

*1. *Familia est ubi nascitur aliturque nova vita, quae, ne pereat, sollerti cura educationeque indiget: atque hoc ius quidem est officiumque praecipuum ab ipso Deo parentibus commissum atque imperatum. Educationis enim naturalis materia et finis est infantis intelligentiam viresque corporis explicare ut fiat adultus; materia vero et finis christianae institutionis est novum hominem, baptismo renatum, perfectum efficere christianum. Huiusmodi officium, quod christianarum familia-*

* Datum die 23 mart. 1952.

* Versio latina horum monumentorum debetur P. Aemilio Springhetti, S. I.

stume e vanto delle famiglie cristiane, è solennemente sancito dal canone 1113 del Codice di diritto canonico, che suona così: « Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi ». - « I genitori hanno il gravissimo obligo di curare con tutte le loro forze l'educazione, così religiosa e morale, come fisica e civile, dei loro figli e di provvedere anche al loro benessere temporale ».

2. Le questioni più urgenti di così vasto argomento sono state chiarite in diverse occasioni dai Nostri Predecessori e da Noi stessi. Pertanto Ci proponiamo ora non di ripetere quel che è già stato ampiamente esposto, ma piuttosto richiamare l'attenzione sopra un elemento, che, pur essendo la base e il fulcro della educazione, specialmente cristiana, sembra invece ad alcuni, a prima vista, quasi estraneo ad essa. Vorremmo cioè parlare di ciò che vi è di più profondo ed intrinseco nell'uomo: la sua coscienza. Vi siamo indotti dal fatto che alcune correnti

---

rum mos semper fuit atque laus, sollemniter sancitum habemus canone 1113 Codicis Iuris Canonici, qui haec habet: « Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi ».

2. Tam vasti argumenti urgentiora capita iam alias, variis datis occasionibus, a Decessoribus Nostris et a Nobis ipsis sunt illustrata. Quare non est Nobis in animo ea repetere quae iam fuse declarata sunt; at potius cuidam vos elemento reddere attentos, quod, quamvis sit educationis, praesertim christianae, fundamentum ac fulcimen, quibusdam videtur esse veluti ab ipsa alienum. Volumus nimirum de eo dicere, quod est in homine intimum ac proprium: de eius conscientia. Ad hoc autem ex eo inducimur, quod quaedam hominum nostri tem-

del pensiero moderno cominciano ad alterarne il concetto e ad impugnarne il valore. Tratteremo dunque della coscienza in quanto oggetto della educazione.

3. La coscienza è come il nucleo più intimo e segreto dell'uomo. Là egli si rifugia con le sue facoltà spirituali in assoluta solitudine: solo con se stesso, o meglio, solo con Dio — della cui voce la coscienza risuona — e con sè stesso. Là egli si determina per il bene o per il male; là egli sceglie fra la strada della vittoria e quella della disfatta. Quando anche volesse, l'uomo non riuscirebbe mai a togliersela di dosso; con essa, o che approvi o che condanni, percorrerà tutto il cammino della vita, ed egualmente con essa, testimone veritiero ed incorruttibile, si presenterà al giudizio di Dio. La coscienza è quindi, per dirla con una immagine tanto antica quanto degna, un ἄδυτον un santuario, sulla cui soglia tutti debbono arrestarsi; anche se si tratta di un fanciullo, il padre e la madre. Solo il sacerdote vi entra come curatore di anime

---

poris opiniones incipiant eius mutare naturam, infitiari praestantiam. Agemus igitur de conscientia prout est educationis obiectum.

3. Conscientia est veluti nucleus hominis intimus et secretissimus; illuc cum omnibus animi partibus in summam solitudinem se recipit, solus secum ipso, vel melius, solus cum Deo — cuius voce conscientia impletur — et secum ipso. Ibi decernit honeste vel inhoneste agere; ibi viam deligit, quam ingrediendo victor evadet aut victus. Etiamsi velit, numquam homo se conscientia expediet; cum illa, seu probante seu improbante, totum vitae cursum decurret; cum eadem, veridico teste et incorrupto, in Dei iudicium veniet. Conscientia igitur, ut antiqua utamur imagine et digna, ἄδυτον seu sacrarium quoddam est, in cuius limine sistere debent omnes, pater quoque ac mater, si de pueri conscientia agatur. Sacerdos tantummodo, utpote qui animarum curam habet

e come ministro del Sacramento della penitenza; nè per questo la coscienza cessa di esser un geloso santuario di cui Dio stesso vuole custodita la segretezza col sigillo del più sacro silenzio.

4. In che senso dunque si può parlare della educazione della coscienza?

ESSENZA DELLA COSCIENZA CRISTIANA.

5. Occorre rifarsi ad alcuni concetti fondamentali della dottrina cattolica per ben comprendere che la coscienza può e deve essere educata.

6. Il divin Salvatore ha arrecato all'uomo ignaro e debole la sua verità e la sua grazia: la verità per indicargli la via che conduce alla sua meta; la grazia per conferirgli la forza di poterla raggiungere.

7. Percorrere quel cammino significa, nella pratica, accettare il volere e i comandamenti di Cristo, e confor-

---

et poenitentiae Sacramentum ministrat, eam ingreditur; nec propterea desinit esse sacrarium inaccessum, cuius arcana vult Deus sanctissimi silentii sigillo custodiantur.

4. *Quo sensu igitur, de conscientiae educatione sermo esse potest?*

QUID SIT CHRISTIANA CONSCIENTIA.

5. *Quaedam catholicae fidei capita repetere oportet, ut probe intelligamus posse quidem conscientiam debereque educari.*

6. *Salvator divinus veram suam doctrinam suamque gratiam attulit ignaro homini et infirmo: doctrinam, ut illi viam commonstraret qua ad finem suum tenderet; gratiam, ut vires adderet quibus illum consequeretur.*

7. *Iter illud conficere idem est, in usu vitaque, quam Christi voluntatem et praecepta recipere suaeque vitae*

mare ad essi la vita, cioè i singoli atti, interni ed esterni, che la libera volontà umana sceglie e fissa. Ora qual è la facoltà spirituale, che nei casi particolari addita alla volontà medesima, affinchè scelga e determini, gli atti che sono conformi al volere divino, se non la coscienza? Essa è dunque eco fedele, nitido riflesso della norma divina delle umane azioni. Sicchè le espressioni, quale « il giudizio della coscienza cristiana », o l'altra « giudicare secondo la coscienza cristiana », hanno questo significato: la norma della decisione ultima e personale per un'azione morale va presa dalla parola e dalla volontà di Cristo. Egli è infatti via, verità e vita, non solo per tutti gli uomini presi insieme, ma per ogni singolo (cfr. Io. 14, 6): è tale per l'uomo maturo, è tale per il fanciullo ed il giovane.

8. Da ciò consegue che formare la coscienza cristiana di un fanciullo o di un giovane consiste innanzi tutto nell'illuminare la loro mente circa la volontà di Cristo, la

---

rationem ad ea conformare, singulos nempe actus cum internos tum externos, quos humana voluntas libere eligit atque constituit. Atqui, quae animi pars, nisi conscientia, cum est aliquid agendum, monstrat voluntati ipsi, ut eligat decernatque, actus divinae voluntati congruentes? Eadem igitur fide summa et claritate refert divinam normam actuum humanorum. Ideoque hae locutiones: « iudicium christianae conscientiae », vel « ex conscientia christiana iudicare » hoc denique tandem significant normam, qua quis ipse postremo honeste agere decernat, ex Christi verbis ac voluntate esse sumendam. Ille enim est via, veritas et vita, non tantum hominibus simul sumptis, sed singulis etiam (cfr. Jo. 14. 6): *talis est et adulto et puero atque adolescenti.*

8. *Formare igitur pueri vel adolescentis christianam conscientiam, in eo imprimis consistit, quod eorum mentibus lumen praebatur circa Christi voluntatem, legem*

sua legge, la sua via, e inoltre nell'agire sul loro animo, per quanto ciò può farsi dal di fuori, affine di indurlo alla libera e costante esecuzione del divino volere. E' questo il più alto impegno della educazione.

Presupposti e fonti della educazione della coscienza.

9. Ma dove troveranno l'educatore e l'educando, in concreto e con facilità e certezza, la legge morale cristiana? Nella legge del Creatore impressa nel cuore di ciascuno (cfr. *Rom.* 2, 14-16), e nella rivelazione, nel complesso, cioè delle verità e dei precetti, insegnati dal divino Maestro. Ambedue, sia la legge scritta nel cuore, ossia la legge naturale, sia le verità e i precetti della rivelazione soprannaturale, il Redentore Gesù ha rimesso, come tesoro morale della umanità, nelle mani della sua Chiesa, affinchè essa le predichi a tutte le creature, le illustri e

---

ac viam, quodque praeterea moveantur eorum animi, quantum fieri extrinsecus potest, ut libere constanterque divinae voluntati obsequantur. Hoc educationis officium nobilissimum est.

Educandae conscientiae fundamenta et fontes.

9. *Ubi vero in agendo educator et educandus christianam legem moralem invenient faciliter ac certo? Profecto in Creatoris lege, insculpta in cuiusque hominis animo* (Cfr. Rom. 3, 14-16), *et in divina revelatione, id est in omnibus iis veritatibus ac praeceptis, quae docuit divinus Magister. Utrumque, seu legem naturalem in cordibus scriptam, seu veritates et praecepta supernaturalis revelationis, Iesus redemptor commisit, tamquam animorum thesaurum, Ecclesiae, ut ea integra, incorrupta,*

le trasmetta, intatte e difese da ogni contaminazione ed errore, dall'una all'altra generazione.

ERRORI NELLA FORMAZIONE E NELLA EDUCAZIONE DELLA COSCIENZA CRISTIANA. — PRETESA REVISIONE DELLE NORME MORALI.

10 Contro questa dottrina, incontrastata per lunghi secoli, emergono ora difficoltà ed obiezioni che occorre chiarire.

11. Come della dottrina dommatica, così anche dell'ordinamento morale cattolico si vorrebbe istituire quasi una radicale revisione per dedurne una nuova valutazione.

12. Il passo primario, o per dir meglio il primo colpo all'edificio delle norme morali cristiane, dovrebbe essere quello di svincolarle — come si pretende — dalla sorveglianza angusta ed opprimente dell'autorità della Chiesa, cosicchè, liberata dalle sottigliezze sofistiche del metodo

---

erroribus immunia hominibus praedicaret, illustraret, ac posteris sine ulla intermissione traderet.

ERRORES IN CHRISTIANA CONSCIENTIA FORMANDA ATQUE INSTITUENDA. ARROGANS RECOGNITIO DISCIPLINAE MORUM.

10. *Sed huic doctrinae, per tot saecula nunquam controversae, quaedam nunc obiectantur quae indigent declaratione.*

11. *Volunt enim quidam paene radicitus et doctrinam dogmaticam et catholicam morum disciplinam recognoscere, ut novum de illis iudicium feratur.*

12. *Primus gressus vel, ut verius dicam, ictus primus illatus veluti corpori christianae de moribus doctrinae, est — ut illi contendunt — eam ab angusta atque gravi*

casuistico, la morale sia ricondotta alla sua forma originaria e rimessa semplicente alla intelligenza e alla determinazione della coscienza individuale.

13. Ognuno vede a quali funeste conseguenze condurerebbe un tale sconvolgimento dei fondamenti stessi della educazione.

14. Omettendo di rilevare la manifesta imperizia e immaturità di giudizio di chi sostiene simili opinioni, gioverà mettere in evidenza il vizio centrale di questa « nuova morale ». Essa, nel rimettere ogni criterio etico alla coscienza inidividuale, chiusa gelosamente in sè e resa arbitra assoluta delle sue determinazioni, ben lungi dall'agevolare il cammino, la distoglierebbe dalla via maestra che è Cristo.

15. Il divin Redentore ha consegnato la sua Rivelazione, di cui fanno parte essenziale gli obblighi morali, non già ai singoli uomini, ma alla sua Chiesa, cui ha dato

---

Ecclesiae potestatis custodia vindicare, ita ut theologia moralis expedita captionibus methodi casuistici, in pristinam suam formam revocetur ac simplici intelligentiae committatur, et consilio conscientiae uniuscuiusque.

13. *Quibus autem funestis consequentiis obnoxia sit haec ipsorum educationis fundamentorum perversitas, nemo est qui non videat.*

14. *Attamen, quamvis sic opinantium manifestam imperitiam iudiciumque immaturum non demonstremus, iuvabit praecipuum huius « novae morum disciplinae » vitium in lucem proferre. Quae, omnem ethicam iudicandi normam committendo uniuscuiusque conscientiae, arcte in se ipsa inclusae et factae consiliorum suorum dominae, non modo ei non explanat iter, sed etiam de recta via, Christo, eam depellit.*

15. *Namque divinus Redemptor Revelationem suam, in qua officia sunt pars quaedam praecipua, non singu-*

la missione di condurli ad abbracciare fedelmente quel sacro deposito.

16. Parimente la divina assistenza, ordinata a preservare la Rivelazione da errori e da deformazioni, è stata promessa alla Chiesa, e non agli individui. Sapiente provvidenza anche questa, poichè la Chiesa, organismo vivente, può così, con sicurezza ed agilità, sia illuminare ed approfondire le verità anche morali, sia applicarle, mantenendone intatta la sostanza, alle condizioni variabili dei luoghi e dei tempi. Si pensi, per esempio, alla dottrina sociale della Chiesa, che, sorta per rispondere a nuovi bisogni, non è in fondo che l'applicazione della perenne morale cristiana alle presenti circostanze economiche e sociali.

17. Come è dunque possibile di conciliare la provvida disposizione del Salvatore, che commise alla Chiesa la

---

lis concredidit hominibus, at vero Ecclesiae suae, cui dedit mandatum eos adducendi ut fideliter sacrum illud depositum amplecterentur.

16. *Divinum pariter auxilium, quo Revelationis errores corruptionesque praecaveantur, Ecclesiae, non vero singulis hominibus promissum est. Prudens sane est hoc quoque divinum consilium, cum Ecclesia, corpus vivens, hoc modo possit, secura et expedita, sive illuminare altiusque perscrutari etiam morum praecepta, sive ea, pro locorum et temporum varietate, accommodare, integra tamen manente eorum substantia. Recolatur, exempli causa, socialis Ecclesiae doctrina, quae exorta est ut ad novas necessitates quadraret, quaeque denique tandem nihil aliud est nisi perennis christianae morum disciplinae accommodatio ad praesentem rei oeconomicae et socialis statum.*

17. *Quomodo igitur provida Salvatoris voluntas, qui Ecclesiae commisit tutelam patrimonii christianae rei*

tutela del patrimonio morale cristiano, con una sorta di autonomia individualistica della coscienza?

18. Questa, sottratta al suo clima naturale, non può produrre che venefici frutti, i quali si riconosceranno. al solo paragonarli con alcune caratteristiche della tradizionale condotta e perfezione cristiana, la cui eccellenza è provata dalle incomparabili opere dei Santi.

19. La « morale nuova » afferma che la Chiesa, anzi che fomentare la legge della umana libertà e dell'amore, e d'insistervi quale degna dinamica della vita morale, fa invece leva, quasi esclusivamente e con eccessiva rigidità, sulla fermezza e la intransigenza delle leggi morali cristiane, riccorrendo spesso a quel « siete obbligati », « non è lecito », che hanno troppo sapore di un'avvilente pedanteria.

---

moralis, potest cum quadam conscientiae singulorum autonomia conciliari?

18. *Conscientia enim, ex proprio veluti erepta caelo, fructus tantum veneficos ferre potest, qui statim dignoscentur si vix cum quibusdam proprietatibus conferantur consuetae christianorum vivendi rationis perfectionisque, cuius praestantia ex incomparabilibus Sanctorum operibus comprobatur.*

19. *At vero « nova morum disciplina » asserit Ecclesiam, potius quam legem humanae libertatis et amoris foveat, in eaque, ut in digna honestate e vitae virtute motrice perstet, fere tantum in christianarum legum firmitate ac constantia rigidius inniti et locutionibus saepe huiusmodi uti: « vestrum officium est », « non licet », quae nimium indignas sapiunt ineptias.*

I PRECETTI MORALI DELLA CHIESA PER LA EDUCAZIONE DELLA COSCIENZA NELLA VITA PERSONALE.

20. Ora invece la Chiesa vuole — e lo mette in luce espressamente quando si tratta di formare le coscienze — che il cristiano venga introdotto nelle infinite ricchezze della fede e della grazia, in modo persuasivo, così da sentirsi inclinato a penetrarle profondomente.

21. La Chiesa però non può ritrarsi dall'ammonire i fedeli che queste ricchezze non possono essere acquistate e conservate se non a prezzo di precisi obblighi morali. Una diversa condotta finirebbe col far dimenticare un principio dominante, sul quale ha sempre insistito Gesù, suo Signore e Maestro. Egli infatti ha insegnato che per entrare nel regno dei cieli non basta dire « Signore, Signore », ma deve farsi la volontà del Padre Celeste (cfr. *Matth.* 7, 21). Egli ha parlato della « porta stretta »

ECCLESIAE PRAECEPTA MORALIA DE CONSCIENTIA FORMANDA IN REBUS PRIVATIS.

20. *Ecclesia, contra, vult — et aperte demonstrat cum de conscientiis formandis agitur — ut homo christianus ingentium fidei gratiaeque divitiarum fiat persuadendo particeps, ita ut studio penitus in eas penetrandi accendatur.*

21. *Nequit tamen Ecclesia refugere ab admonendis Christifidelibus non posse hasce divitias obtineri servarique, nisi certa honeste agendi officia in se recipiendo. Si aliter ageret, memoriam oblitteraret primarii principii, quod semper Christus, Dominus eius ac Magister, praedicavit. Docuit enim Ille non satis esse, ut quis in regnum intret caelorum, dicere: « Domine, Domine », at esse voluntatem Patris faciendam, qui in caelis est* (Mt. VII, 21). *Ipse locutus est de « angusta porta » et de « arcta via » quae ducit ad vitam* (Mt. 7, 12-14), *addidit-*

e della « angusta via » che conduce alla vita (cfr. *Matth.* 7, 13-14), ed ha aggiunto: « Sforzatevi di entrare per la porta stretta, perchè molti, vi dico, cercheranno di entrare e non vi riusciranno » (*Luc.* 13, 24). Egli ha posto come pietra di paragone e segno distintivo dell'amore verso Sè stesso, Cristo, l'osservanza dei comandamenti (*Io.* 14, 21. 24). Similmente al giovane ricco, che lo interroga, Egli dice: « Se vuoi entrare nella vita, osserva i comandamenti » e alla nuova domanda « Quali? » risponde: « Non uccidere! non commettere adulterio! non rubare! non fare testimonianza falsa! onora il padre e la madre! e ama il prossimo tuo come te stesso! ». Egli ha messo come condizione a chi vuole imitarlo, di rinunziare a sè stesso e di prendere ogni giorno la sua croce (cfr. *Luc.* 9, 23). Egli esige che l'uomo sia pronto a lasciare per Lui e per la sua causa quanto ha di più caro, come il padre, la madre, i propri figli, e fin l'ultimo bene, la propria vita (cfr. *Matth.* 10, 37-39). Poichè Egli soggiunge: « A voi dico, amici miei: non temete quei che uccidono il corpo, e dopo

---

que: « *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt* » (Lc. XIII, 24). *Idem posuit ut indicium signumque amoris erga se, Christum, observatio mandatorum* (Jo. XIV, 21, 24). *Item diviti adolescenti interroganti dicit:* « *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* »; *ac rursus interroganti:* « *Quae?* », *respondet:* « *Non homicidium facies! non adulterabis! non furtum facies! non falsum testimonium dices! Honora patrem tuum et matrem tuam, et diliges proximum tuum sicut teipsum* » (Mt. XIX, 17-19). *Volenti autem se imitari, condicionem posuit abnegandi semetipsum et tollendi crucem suam quotidie* (Lc. IX, 23). *Postulat ut homo paratus sit ad omnia carissima relinquenda, patrem, matrem, filios, atque adeo extremum bonum, vitam, ex eius amore et causa* (Mt. X, 37-39). *Addit enim ipse:* « *Dico autem vobis amicis meis:*

tanto non possono fare di più. Vi mostrerò io chi dovete temere: temete Colui, che, dopo tolta la vita, ha il potere di mandare all'inferno » (*Luc.* 12, 4-5).

22. Così parlava Gesù Cristo, il divino Pedagogo, che sa certamente, meglio degli uomini, penetrare nelle anime e attrarle al suo amore con le infinite perfezioni del suo Cuore, *bonitate et amore plenum* (*Lit. de sacr. Corde Iesu*).

23. E l'Apostolo delle genti S. Paolo ha forse predicato altrimenti? Col suo veemente accento di persuasione, svelando l'arcano fascino del mondo soprannautrale, egli ha dispiegato la grandezza e lo splendore della fede cristiana, le ricchezze, la potenza, la benedizione, la felicità in essa racchiuse, offrendole alle anime come degno oggetto della libertà del cristiano e meta irresistibile di puri slanci d'amore. Ma non è men vero che sono altrettanto suoi gli ammonimenti come questo: « Operate con

---

Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam » (Lc. XII, 4-5).

22. *Sic Iesus Christus Magister divinus loquebatur; qui melius certe quam homines scit animos penetrare atque ad sui amorem trahere infinitis virtutibus cordis sui,* bonitate et amore pleni (Lit. de sacr. Corde Iesu).

23. *An aliter praedicavit S. Paulus, gentium apostolus? Vehementi sua persuadendi vi retegens arcanam supernaturalis vitae suavitatem, fidei christianae magnitudinem splendoremque, explicavit divitias, beneficia, virtutem, felicitatem, quae in illa continentur, obtulitque hominibus ut essent dignum christianae libertatis obiectum ac finis, qui mire in se pertraheret impetus casti amoris. At pariter verum est hoc illum monuisse: « cum metu et tremore vestram salutem operamini* » (Phil. 2, 12) *et praeclara de moribus praecepta scripto reliquisse om-*

timore e tremore la vostra salute » (*Phil.* 2, 12), e che dalla medesima sua penna sono scaturiti alti precetti morali, destinati a tutti i fedeli, siano essi di comune intelligenza, ovvero anime di elevata sensibilità. Prendendo dunque come stretta norma le parole di Cristo e dell'Apostolo, non si dovrebbe forse dire che la Chiesa di oggi è inclinata piuttosto alla condiscendenza che alla severità? Di guisa che l'accusa di durezza opprimente, dalla « nuova morale » mossa contro la Chiesa, in realtà va a colpire in primo luogo la stessa adorabile Persona di Cristo.

24. Consapevoli pertanto del diritto e del dovere della Sede Apostolica d'intervenire, quando bisogni, autorevolmente nelle questioni morali, Noi nel discorso del 29 ottobre del passato anno Ci proponemmo d'illuminare le coscienze intorno ai problemi della vita coniugale. Con la medesima autorità dichiariamo oggi agli educatori e alla stessa gioventù: il comandamento divino della purezza dell'anima e del corpo vale senza diminuzione anche per la gioventù odierna. Anch'essa ha l'obbligo

---

nibus Christifidelibus, sive tardo ii sive praeclari gaudent ingenio. Si ergo Christi et S. Pauli verba pro certa norma habeantur, nonne dicendum est Ecclesiam nostro tempore ad indulgentiam esse procliviorem quam ad severitatem? Atque ita gravis illa inhumanitatis incriminatio a « nova morum disciplina » Ecclesiae illata, reapse Christum ipsum adorandum inprimis attingit.

24. *Quare, cum probe Nobis conscii simus Apostolicae Sedi ius officiumque esse, cum res postulet, in rebus ad mores pertinentibus cum auctoritate interveniendi, Nos in allocutione die 29 Octobris superioris anni habita, proposuimus hominum conscientias edocere mores vitae coniugalis. Eadem nunc auctoritate educatoribus edicimus ac ipsis iuvenibus: divinum praeceptum de corporis animique castimonia servanda, in iuvenes etiam*

morale e, con l'aiuto della grazia, la possibilità di conservarsi pura. Respingiamo quindi come erronea l'affermazione di coloro, che considerano inevitabili le cadute negli anni della pubertà, le quali così non meriterebbero che se ne faccia gran caso, quasi che non siano colpa grave, perchè ordinariamente, essi aggiungono, la passione toglie la libertà necessaria, affinchè un atto sia moralmente imputabile.

25. Al contrario, è norma doverosa e saggia che l'educatore, pur non trascurando di rappresentare ai giovani i nobili pregi della purezza, in guisa da avvincerli ad amarla e desiderarla per se stessa, inculchino tuttavia chiaramente il comandamento come tale, in tutta la sua gravità e serietà di ordinazione divina. Egli così spronerà i giovani ad evitare le occasioni prossime, li conforterà nella lotta, di cui non nasconderà loro la durezza, li indurrà ad abbracciare coraggiosamente quei sacrifici che la virtù esige, e li esorterà a perseverare e

---

huius temporis sine deductione cadere. Et ipsi ex officio coguntur et, Deo iuvante, valent servare se intaminatos. Falsam igitur sententiam eorum repudiamus, qui lapsus in pubere aetate vitari non posse tenent, ideoque, quasi non grave peccatum sint, non tanti esse faciendos, cum plerumque libido — addunt illi — adimat libertatem, ad actum alicui imputandum necessariam.

25. *Contra vero, debita prudensque educatoris norma est, ut, quamvis non neglegat edocere adolescentes quae sit praestans castitatis dignitas, adeo ut ad eam per se amandam cupiendamque perducat, inculcet tamen aperte Dei praeceptum qua tale, quantum grave est ac severum. Impellet hoc modo adolescentes ad proximas vitandas culpae occasiones; confirmabit in pugna, cuius non celabit asperitatem; adducet ut forti animo ea omnia perpetiantur quae sunt ad virtutem consequendam necessaria; hortabitur denique ut perseverantes sint et*

a non cadere nel pericolo di deporre le armi fin dal principio e di soccombere senza resistenza alle perverse abitudini.

... E NELLA VITA PUBBLICA.

26. Anche più che nel campo della condotta privata, vi sono oggi molti che vorrebbero escludere il dominio della legge morale dalla vita pubblica, economica e sociale, dall'azione dei pubblici poteri nell'interno e all'esterno, nella pace e nella guerra, come se qui Dio non avesse nulla da dire, almeno di definitivo.

27. L'emancipazione delle attività umane esterne, come le scienze, la politica, l'arte, dalla morale viene talora motivata in sede filosofica dall'autonomia che ad esse compete, nel loro campo, di governarsi esclusivamente secondo leggi proprie, benchè si ammetta che queste collimano d'ordinario con quelle morali. E si reca

---

ne se in periculum inferant arma inde ab initio deponendi, succumbendique pravis sibi factis moribus, nihil resistentes.

... ET IN PUBLICIS NEGOTIIS.

26. *Non pauci sunt nostro tempore qui velint moralis legis potestatem, plus etiam quam a privata agendi ratione, a publica excludere, ab oeconomica et sociali, a negotiis magistratuum intra regnum et foris, in pace et in bello, ac si in his nihil, saltem definitivi, habeat dicendum.*

27. *Quod autem hominum operae, ut sunt liberales disciplinae, civilis scientia, artes, ex morum praeceptis sint eximendae, philosophice probant interdum ex potestate, ad eas intra suos fines pertinente, suo tantum imperio utendi ex propriis praeceptis, quamvis conce-*

ad esempio l'arte, alla quale si nega non solo ogni dipendenza, ma anche ogni rapporto con la morale, dicendo: l'arte è solo arte, e non morale nè altra cosa, da reggersi quindi con le sole leggi della estetica, le quali peraltro, se sono veramente tali, non si piegheranno a servire la concupiscenza. In simile maniera si discorre della politica e della economia, che non hanno bisogno di prendere consiglio da altre scienze, e quindi dall'etica, ma, guidate dalle loro vere leggi, sono per ciò stesso buone e giuste.

28. E', come si vede, un sottile modo di sottrarre le coscienze all'imperio delle leggi morali. In verità, non si può negare che tali autonomie siano giuste, in quanto esprimono il metodo proprio di ciascuna attività e i confini che separano le loro diverse forme in sede teorica; ma la separazione di metodo non deve significare che lo scienziato, l'artista, il politico siano liberi da sollecitudini morali nell'esercizio delle loro attività, spe-

---

dant haec plerumque cum morum disciplina convenire. Ut exemplum afferunt artem, quam non modo a moribus minime pendere, sed etiam minime cum illis congruere asserunt his verbis: ars est ars tantum et non disciplina morum vel aliquid aliud; debet ideo regi solis aestheticae praeceptis, quae tamen, si reapse talia sint, nunquam cupiditatibus servient. Idem dicunt de re politica et oeconomica, quae aliarum artium, ideoque et ethicae, consilio non indigent, sed, suis veris praeceptis moderatae, ob id ipsum honestae sunt et iustae.

28. *Est, ut videtis, captiosus modus conscientias hominum eripiendi imperio legum moralium. Et revera negari nequit eas sui iuris esse, quatenus hae autonomiae exprimunt suum agendi modum uniuscuiusque proprium et fines qui, theoretice, varias earum formas separant; at quod methodo separentur, non debet significare viros eruditos, artifices, rerum civilium peritos, a curan-*

cialmente se queste hanno immediati riflessi nel campo etico, come l'arte, la politica, la economia. La separazione netta e teorica non ha senso nella vita, che è sempre una sintesi, poichè il soggetto unico di ogni specie di attività è lo stesso uomo, i cui atti liberi e coscienti non possono sfuggire alla valutazione morale. Continuando a osservare il problema con sguardo ampio e pratico, che fa talora difetto a filosofi anche insigni, tali distinzioni ed autonomie sono volte dalla natura umana decaduta a rappresentare come leggi dell'arte, della politica o dell'economia ciò che invece riesce comodo alla concupiscenza, all'egoismo e alla cupidigia. Così l'autonomia teorica dalla morale diviene in pratica ribellione alla morale, e si spezza altresì quella armonia insita alle scienze e alle arti, che i filosofi di quella scuola acutamente riscontrano, ma dicono casuale, mentre è in-

---

dis moribus esse solutos in suarum artium exercitatione, si praesertim hae ethicam attingant ipsae, ut est de arte, de civili et oeconomica reipublicae administratione. Huiusmodi clara et theoretica seiunctio sensu caret in usu, qui utrumque semper componit, cum is unus qui qualitercumque agit, sit ipse homo, cuius liberae et consciae actiones nequeunt conscientiae iudicium effugere. Si autem mentis aciem latius in rem eiusque usum intendere pergimus, quod philosophi, insignes etiam, interdum non faciunt, videmus huiusmodi distinctiones et autonomias ab ipsa hominis lapsa natura ad hoc converti, ut tamquam praecepta artis, scientiae civilis et oeconomicae exhibeat id, quod in libidinem, in immoderatum sui amorem, in aviditatem conducit. Itaque spectativa haec seiunctio libertasque a disciplina morum, fit in usu vitae ab ipsis moribus defectio; scinditur praeterea innata illa doctrinarum et artium concordia, quam philosophi illius scholae subtiliter quidem deprehendunt, at fortuitam vo-

vece essenziale, se considerata dal soggetto, che è l'uomo, e dal suo Creatore, che è Dio.

29. Perciò i Nostri Predecessori e Noi stessi, nello scompiglio della guerra e nelle turbate vicende del dopoguerra, non abbiamo cessato d'insistere sul principio che l'ordine voluto da Dio abbraccia la vita intera, non esclusa la vita pubblica in ogni sua manifestazione, persuasi che in ciò non vi è alcuna restrizione della vera libertà umana, nè alcuna intromissione nella competenza dello Stato, ma una assicurazione contro errori ed abusi, dai quali la morale cristiana, se rettamente applicata, può proteggere. Queste verità debbono essere insegnate ai giovani e inculcate nelle loro coscienze da chi, nella famiglia o nella scuola, ha l'obbligo di attendere alla loro educazione, ponendo così il seme di un avvenire migliore.

---

cant, cum contra, si eius subiectum, homo nimirum, spectetur, eiusque Creator, Deus, ex ipsa essentia profluat.

29. *Quare Decessores nostri Nosque ipsi, inter belli eversiones et perturbationes quae bella secutae sunt, constanter affirmavimus ordinem a Deo praestitutum omnes amplecti actiones vitae, etiam in publico quomodocumquae actae, cum persuasum haberemus nullam in hoc esse verae libertatis humanae circumscriptionem, nullam legitimae magistratuum potestati interpositionem, at vero cautionem errorum et perversorum usuum, a quibus christiana morum disciplina, si recte accommodetur, potest tueri. Haec autem vera adolescentibus sunt tradenda eorumque animis defigenda ab eo, qui vel in familia vel in schola debet ex officio eos educare, futura tempora hoc modo parans meliora.*

Esortazione finale.

30. Ecco quanto intendevamo oggi di dirvi, diletti figli e figlie che Ci ascoltate, e nel dirvelo non abbiamo nascosto l'ansia che Ci stringe il cuore per questo formidabile problema, che tocca il presente e l'avvenire del mondo e l'eterno destino di tante anime. Quanto conforto Ci darebbe l'essere certi che voi condividete questa Nostra ansia per la cristiana educazione della gioventù! Educate le coscienze dei vostri fanciulli con tenace e perseverante cura. Educatele al timore, come all'amore di Dio. Educatele alla veracità. Ma siate veraci per primi voi stessi, e bandite dall'opera educativa quanto non è schietto nè vero. Imprimete nelle coscienze dei giovani il genuino concetto della libertà, della vera libertà, degna e propria di una creatura fatta ad immagine di Dio. E' ben altra cosa che dissoluzione e sfrenatezza; è invece provata idoneità al bene; è quel risol-

---

Hortatio et conclusio.

30. *En quae Nobis in animo hodie erant edicere vobis audientibus, dilecti filii et filiae, et haec dicendo non celavimus angi Nos animo de maximo hoc problemate, quod ad praesentes futurosque homines spectat atque ad tot animorum fatum aeternum. Quanto Nobis esset solacio pro certo habere premi vos eadem nostra sollicitudine christianae adolescentum institutionis! Puerorum igitur vestrorum conscientias tenaci constantique colite cura; eas ad Dei reverentiam pariter et amorem instituite; formate ad studium veritatis. At vos ipsi primi estote veraces atque in pueris instituendis omne quod sincerum non est et verum removete. In adolescentium animis imprimite quid reapse sit vera libertas, hominis ad imaginem Dei facti digna et propria. Haec enim longe alia est ac immoderata et effrena morum licentia; est*

versi da sè a volerlo e a compierlo (cfr. *Gal.* 5, 13); è la padronanza sulle proprie facoltà, sugl'istinti, sugli avvenimenti. Educateli a pregare e ad attingere dalle fonti della Penitenza e della SS.ma Eucaristia ciò che la natura non può dare: la forza di non cadere, la forza di risorgere. Sentano già da giovani che senza l'aiuto di queste energie soprannaturali essi non riuscirebbero ad essere nè buoni cristiani, nè semplicemente uomini onesti, cui sia retaggio un vivere sereno. Ma così preparati, potranno aspirare anche all'ottimo, potranno darsi cioè a quel grande impiego di sè, il cui adempimento sarà il loro vanto: attuare Cristo nella loro vita.

31. A conseguire questo scopo Noi esortiamo tutti i Nostri diletti figli e figlie della grande famiglia umana ad essere fra di loro strettamente uniti: uniti per la difesa della verità, per la diffusione del regno di Cristo sulla terra. Si bandisca ogni divisione, si rimuova ogni

---

vero probata facultas ab bonum, est sua sponte ac voluntate illud velle et efficere (cfr. Gal. 5, 13); *est denique dominari in animi partes, in naturae appetitus, in rerum eventus. Docete eos precari Deum et ex fontibus Sacramentorum Poenitentiae et SS. Eucharistiae ea sumere quae non potest natura suppeditare: vim nempe ne cadant vel ut lapsi resurgant. Sentiant iam ab adolescentia non posse se sine coelesti auxilio nec veros esse christianos, nec vel probos homines, quos hereditas maneat vitae tranquillae. Si vero uti diximus instituantur, poterunt et ad optimum contendere, vitam nempe suam in id consequendum profundere, quod summa eorum erit laus: fingere in se et exprimere Christum.*

31. *Ad hoc autem assequendum Nos filios nostros omnes filiasque magnae familiae humanae hortamur ut sint arcte inter se coniuncti in tuenda veritate et in regno Christi proferendo in totum orbem terrarum. Omnis removeatur animorum dissensio et dissipetur discor-*

dissenso; si sacrifichi generosamente — costi quel che costi — a questo bene superiore, a questo supremo ideale, ogni veduta particolare, ogni preferenza soggettiva; « se mala cupidigia altro vi grida », la vostra coscienza cristiana vinca ogni prova, sicchè il nemico di Dio « tra voi di voi non rida » (*Par.* 5, 79. 81). Il vigore della sana educazione si riveli nella sua fecondità in tutti i popoli, i quali tremano per l'avvenire della loro gioventù. Così il Signore riverserà su di voi e sulle vostre famiglie l'abbondonza delle sue grazie, in pegno delle quali v'impartiamo con paterno affetto l'Apostolica Benedizione.

---

dia; quod quisque sentit praeponitque, omni ratione generoso animo postponat prae altiori bono ac supremo perfectae vitae proposito; « insinuet vobis aliter si prava cupido », christiana vestra conscientia quamlibet superet tentationem, « de vobis ne forte Satan vos rideat inter » (Dantes, Par. 5. 79. 81). *Rectae institutionis vigor fructus suos uberes proferat in omnibus populis, qui metuunt trepidantque de iis, quae suis adolescentibus in posterum possint accidere. Ita Dominus Deus effundet in vos vestrasque familias suarum copiam gratiarum, in quarum auspicium vobis Apostolicam Benedictionem paterno animo impertimus.*

II.

(XXXXIV [20 maii - 3 iunii 1952] p. 413)

ALLOCUTIO

AD DELEGATAS CONVENTUI INTERNATIONALI VULGO NUNCUPATAE « FÉDÉRATION MONDIALE DES JEUNESSES FÉMININES CATHOLIQUES » ROMAE HABITA *

Le thème du Congrès.

1. Soyez les bienvenues, chères filles de la Fédération Mondiale des Jeunesse Féminines Catholiques. Nous vous saluons avec le même plaisir, la même joie et la même affection, avec lesquelles il y a cinq ans Nous vous avons reçues à Castel-Gandolfo à l'occasion de la grande rencontre internationale des Femmes Catholiques.

2. Les impulsions et les conseils de sagesse que vous a donnés ce Congès, comme les paroles que Nous vous avons alors adressées (*Discorsi e Radiomessaggi*, IX, pag. 221-233), ne sont vraiment pas restés sans fruit. Nous

---

Congressus argumentum.

1. *Optatae venitis, dilectae filiae « Consociationis Puellarum Catholicarum ex omnibus Nationibus ». Qua animi voluptate, quo gaudio, qua benevolentia abhinc quinque annos vos excepimus Castri Gandulphi occasione magni feminarum Catholicarum ex omnibus gentibus conventus, iisdem nunc vos consalutamus.*

2. *Incitationes et prudentia consilia, ex hoc Conventu percepta et ex verbis quae tunc habuimus vobis* (Discorsi e Radiomessaggi, IX, pag. 221-233), *non certe suo fructu caruerunt. Novimus enim vos interea omnem vim intendisse ad proposita consequenda, quae perspecta habebatis. Idem etiam Nobis testatur editus commentario-*

* Habita d. 18 apr. 1952.

savons combien dans cet intervalle votre effort s'est tendu, pour réaliser les buts précis, dont vous aviez la claire vision. C'est ce que Nous prouve aussi le mémoire imprimé que vous Nous avez remis lors de la préparation du Congrès d'aujourd'hui: « *La Foi des Jeunes - Problème de notre temps* ». Ses 32 pages ont le poids d'un gros volume, et Nous en avons pris connaissance avec grande attention, car il résume et synthétise les enseignements d'enquêtes nombreuses et variées sur l'état de la Foi dans la jeunesse catholique d'Europe, et le résultat en est extrêmement instructif.

3. Toute une série de questions qui y sont touchées, Nous les avons Nous-même traitées dans notre Allocution du 11 septembre 1947, à laquelle vous assistiez, et dans beaucoup d'autres allocutions auparavant et depuis. Aujourd'hui Nous voudrions prendre occasion de cette réunion avec vous, pou dire ce que Nous pensons de certain phénomène qui se manifeste un peu partout, dans la vie de foi des catholiques, qui atteint un peu tout le monde, mais particulièrement la jeunesse et ses édu-

---

lus, quem vos, inter huius Congressus apparationem, ad Nos misistis: « Nostrae aetatis negotium ac sollicitudo: christiana adolescentium fides ». *Triginta duae paginae, quibus constat, magni voluminis instar sunt, easque magna Nos attentione cognovimus, cum brevi comprehendant exponantque documenta plurium et variarum indagationum de statu Fidei in catholica Europae iuventute, quarum exitus nos edocet plurima.*

3. *Longam rerum seriem, quae ibi attinguntur, Nos ipsi tractavimus in Allocutione die 11 Septembris 1947 habita, cui aderatis, et in pluribus aliis, ante et post illam habitis. Est hodie Nobis in animo occasionem huius vestrae ad Nos admissionis amplecti, ut mentem Nostram aperiamus de facto quodam, quod plus minus fere ubique apparet in catholicorum fidei exercitatione, quod-*

cateurs, et dont votre mémoire aussi rapporte en divers endroits les traces, ainsi quand vous dites (pag. 10): « Confondant le christianisme avec un code de préceptes et d'interdictions, les Jeunes ont le sentiment d'étouffer dans ce climat de ' morale impérative » et ce n'est pas une infime minorité, qui jette par dessus bord ' le bagage gênant ' ».

Une nouvelle conception de la loi morale.

4. Nous pourrions nommer ce phénomène « *una nouvelle conception de la vie morale* », puisqu'il s'agit d'une tendance qui se manifeste dans le domaine de la moralité. Or c'est sur les vérités de foi, que se basent les principes de la moralité; et vous savez bien de quelle importance fondamentale il est pour la conservation et le développement de la foi, que la conscience du jeune homme et de la jeune fille soit très tôt formée et se développe selon des normes morales justes et saines. Ainsi

---

que aliqua ex parte omnes tangit, iuvenes praecipue et eorum educatores, et cuius vester etiam commentarius pluribus in locis mentionem facit; ut cum dicitis: (pag. 10) « iuvenes christianam fidem scriptis praeceptis et interdictionibus permiscentes, velut opprimi sibi videntur ac suffocari hac ' morum disciplina rigide imperante '; nec minima est eorum pars, qui se hoc ' molesto onere ' liberant ».

Nova legis moralis notio.

4. *Factum hoc possumus « novam honeste vivendi rationem » vocare, cum de nova ratione in disciplina morum agatur. Atqui morum praecepta doctrinâ fidei nituntur; et vos probe nostis maximi momenti et ponderis esse ad fidem servandam et augendam, ut adolescentium puellarumque conscientiae quam primum formentur atque ad rectas sanasque morum normas explicentur. Atque ita*

la « nouvelle conception de la moralité chrétienne » touche-t-elle très directement au Problème de la foi des Jeunes.

5. Nous avons déjà parlé de la « nouvelle morale » dans Notre Message Radiodiffusé du 23 mars dernier aux Educateurs Chrétiens. Ce que Nous disons aujourd'hui n'est pas seulement une continuation de ce que Nous avons traité alors; Nous voulons dévoiler les sources profondes de cette conception. On pourrait qualifier celle-ci d'« existentialisme éthique », d'« actualisme éthique », d'« individualisme éthique », entendus au sens restrictif que Nous allons dire, et tels qu'on les trouve dans ce qu'on a appelé ailleurs « *Situationsethik* - morale de situation ».

La « morale de situation » — Son signe distinctif.

6. Le signe distinctif de cette morale est qu'elle ne se base point en effet sur les lois morales universelles,

---

haec « nova ratio honestatis christianae » tangit ipsum problema de christiana fide iuventutis.

5. *De « nova morum disciplina » iam locuti sumus in Nuntio radiophonico die 23 superioris mensis Martii ad christianos educatores. Neque hodie dicentes, id tantum persequimur quod tunc diximus; at reconditas huiusmodi opinionis origines detegere optamus. Potest haec appellari « exsistentialismus ethicus », « actualismus ethicus », « individualismus ethicus », significatione illa restricta de qua sumus locuturi, quaeque alibi definitur « honestas secundum condiciones », vulgo* « Situationsethik ».

« Honestas secundum conditiones ». Nota eius propria.

6. *Nota propria huius disciplinae est, minime illam niti praeceptis morum universalibus, ut sunt, exempli*

comme par exemple les Dix Commandements, mais sur les conditions ou circonstances réelles et concrètes dans lesquelles on doit agir, et selon lesquelles la conscience individuelle a à juger et à choisir. Cet état de choses est unique et vaut une seule fois pour toute action humaine. C'est pourquoi la décision de la conscience, affirment les tenants de cette éthique, ne peut être commandée par les idées, les principes et les lois universelles.

7. La foi chrétienne base ses exigences morales sur la connaissance des vérité *essentielles* et de leurs relations; ainsi fait S. Paul dans l'Epître aux Romains (1, 19-21) pour la religion comme telle, soit chrétienne, soit antérieure au christianisme: à partir de la création, dit l'Apôtre, l'homme entrevoit et saisit en quelque sorte le Créateur, sa puissance éternelle et sa divinité, et cela avec une telle évidence qu'il se sait et se sent obligé à reconnaître Dieu et à lui rendre un culte, de sorte que négliger ce culte ou le pervertir dans l'idolâtrie est gravement coupable, pour tous et dans tous les temps.

---

causâ, decem Dei mandata, at condicionibus et rebus, in quibus agendum est ac debet cuiusque conscientia decernere deligereque. Quae rerum condicio unica est ac pro unaquaque hominis actione, semel valet. Haec est causa cur, ex huius ethicae defensorum mente, opiniones, instituta, leges universales non possint conscientiae imperare quid sit decernendum.

7. *Fides vero christiana, postulata sua moralia in* essentialibus *veritatibus earumque necessitudinibus cognoscendis ponit. Hoc facit S. Paulus in Epistola ad Romanos* (I, 19-21) *quoad religionem, ut talem, sive christianam sive illâ antiquiorem: iam ab orbe condito, inquit Apostolus, homo perspicit discernitque aliquo modo Creatorem, eiusque aeternum imperium et divinitatem, atque hoc tam plane perfecteque, ut sciat ille ac sentiat adigi se ad agnoscendum Deum et colendum, ita*

8. Ce n'est point ce que dit l'éthique dont Nous parlons. Elle ne nie pas, sans plus, les concepts et les principes moraux généraux (bien que parfois elle s'approche fort d'une semblable négation), mais elle les déplace du centre vers l'extrême périphérie. Il peut arriver que souvent la décision de la conscience leur corresponde. Mais ils ne sont pas, pour ainsi dire, une collection de prémisses, desquelles la conscience tire les conséquences logiques dans le cas particulier, le cas d'« une fois ». Non pas! Au centre se trouve le bien, qu'il faut actuer ou conserver, en sa valeur réelle et individuelle; par exemple, dans le domaine de la foi, le rapport personnel qui nous lie à Dieu. Si la conscience sérieusement formée décidait que l'abandon de la foi catholique et l'adhésion à une autre confession mène plus près de Dieu, cette démarche se trouverait « justifiée », même si généralement elle est qualifiée de « défection dans la foi ». — Ou encore, dans le domaine de la moralité, le don de soi corporel et spirituel entre jeunes gens. Ici la conscience sérieu-

---

ut omnibus et semper magnum peccatum sit hunc cultum vel neglegere vel ad deos convertere.

8. *Non hoc asserit nova ethica, de qua sermonem habemus. Haec scilicet, sententias et fundamenta moralia universe posita non negat (etsi interdum prope negare videtur), at veluti a suo centro ad extremos fines transfert. Fieri quidem potest ut quod conscientia decernit, eis congruat. Sed illa non sunt quasi primorum syllogismi collectio, ex quibus conscientia dialectice inferat consequentia ad factum singulare, ad id nempe « quod semel accidit ». Minime gentium! At principem locum obtinet bonum, quod est secundum verum cuiusque rei momentum efficiendum servandumve; in religione, exempli causa, privata necessitudo quae nobis cum Deo intercedit. Si enim conscientia recte conformata iudicaret defectionem a fide catholica et accessionem ad aliam fidei doctrinam magis*

sement formée déciderait qu'à raison de la sincère inclination mutuelle conviennent les privautés du corps et des sens, et celles-ci, bien qu'admissibles seeulement entre époux, deviendraient manifestations permises. — La conscience ouverte d'aujourd'hui déciderait ainsi, parce que de la hiérarchie des valeurs elle tire ce principe que les valeurs de personalité, étant les plus hautes, pourraient se servir des valeurs inférieures du corps et des sens ou bien les écarter, selon que le suggère chaque situation. — On a bien avec insistance prétendu que, justement d'après ce principe, en matière de droit des époux, il faudrait en cas de conflit, laisser à la conscience sérieuse et droite des conjoints, selon les exigences des situations concrètes, la faculté de rendre directement impossible la réalisation des valeurs biologiques, au profit des valeurs de personnalité.

9. Des jugements de conscience de cette nature, si

---

adducere ad Deum, huiusmodi consilium « probaretur », etiamsi vulgo appellaretur « defectio a fide ». Idem dicatur, in re morali, de mutua inter iuvenes corporis animique donatione. Qua in re, conscientia probe formata, decerneret permitti, mutuae et sincerae propensionis causâ, corporis sensuumque familiaritates; quae, etsi solis coniugibus sint licitae, fierent permissae amoris significationes. — Aperta recentiorum conscientia ita statuit, quia ex ordine dignitatis infert posse personae bona, cum sint ceteris praestantiora, uti vilioribus corporis sensuumque bonis vel etiam ea removere, prout singulae res suadeant. — His autem positis, magnopere contenderunt in iure coniugali oportere, si conflictus haberetur, seriae et rectae coniugum conscientiae facultatem committere, prout singulae res postularent, impediendi, personae bonorum commodo, quominus haberentur bona corporis.

9. *Huiusmodi iudicia conscientiae, quantumvis viderentur primo adspectu divinis repugnare praeceptis, a*

contraires qu'ils semblent au premier abord aux préceptes divins, vaudraient cependant devant Dieu, parce que, dit-on, la conscience sincère sérieusement formée prime devant Dieu-même le « précepte » et la loi ».

10. Une telle décision est donc « active » et « productrice », non « passive » et « receptrice » de la décision de la loi, que Dieu a écrite dans le coeur de chacun, et moins encore de celle du Décalogue, que le doigt de Dieu a écrite sur des tables de pierre, à charge pour l'autorité humaine de le promulguer et de le conserver.

La « morale nouvelle » éminemment « individuelle »

11. L'étique nouvelle (adaptée aux circonstances), disent ses auteurs, est éminemment « individuelle ». Dans la détermination de conscience l'homme singulier se rencontre immédiatement avec Dieu et se décide devant Lui, sans l'intervention d'aucune communauté, d'aucun culte

---

Deo tamen probarentur; conscientia enim sincera, aiunt, recteque formata pluris Dei interest, quam simplex « praeceptum » et « lex ».

10. *Hoc igitur (conscientiae) consilium « activum » et « efficiens » est, non vero « passivum » et « recipiens » id, quod lex a Deo in uniuscuiusque animo insculpta decernit, et minus etiam quod habet Decalogus, in lapideis tabulis Dei virtute incisus, et hominum auctoritate promulgandus et custodiendus.*

« Nova morum disciplina » « homines singulos » praecipue spectat.

11. *Nova ethica (rerum adiunctis accommodata) — dicunt eius auctores — « homines singulos » praecipue spectat. In capiendis enim conscientiae consiliis, singuli homines agunt ipsi cum Deo et coram decernunt, nulla interveniente lege, nulla auctoritate, nulla societate, nul-*

ou confession, en rien et en aucune manière. Ici il y a seulement le *je* de l'homme et le *Je* du Dieu personnel; non du Dieu de la loi, mais du Dieu Père, avec qui l'homme doit s'unir dans l'amour filial. Vue ainsi, la décision de conscience est donc un « risque » personnel, selon la connaissance et l'évaluation propres, en toute sincérité devant Dieu. Ces deux choses, l'intention droite et la réponse sincère, sont ce que Dieu considère; l'action ne Lui importe pas. De sorte que la réponse peut être d'échanger la foi catholique contre d'autres principes, de divorcer, d'interrompre la gestation, de refuser obéissance à l'autorité compétente dans la famille, dans l'Eglise, dans l'Etat, et ainsi de suite.

12. Tout cela conviendrait parfaitement à la condition de « majorité » de l'homme et, dans l'ordre chrétien, à la relation de filiation, qui, selon l'enseignement du Christ, nous fait prier « notre Père ». Cette vue personnelle épargne à l'homme de devoir à chaque instant me-

---

la peculiari religione; in nulla re nulloque pacto. Homo et Deus coram adsunt ipsi mutuo, soli; non vero Deus legislator, at Deus Pater, quocum debet homo pietate coniungi. Si conscientiae sententia hoc modo accipiatur, « alea » privata est, suscepta ex propria uniuscuiusque cognitione aestimationeque rerum, et animo cum Deo sincero. Atqui haec duo, mentem rectam sincerumque responsum, non vero actionem, Deus attendit. Responsum itaque comprehendere potest christianae doctrinae cum alia commutationem, divortium, praegnationis cessationem, legitimae auctoritati parendi recusationem in familia, in Ecclesia, in republica; et alia.

12. *Quae omnia maxime decerent condicionem hominis « sui iuris facti » et, in christiano rerum ordine, rationem filiorum, qua, docente Christo, dicimus: « Pater noster ». Privatum huiusmodi iudicium officio hominem eximit perpendendi unoquoque momento utrum consi-*

surer si la décision à prendre correspond aux paragraphes de la loi ou aux canons des normes et règles abstraites; elle le préserve de l'hypocrisie d'une fidélité pharisaïque aux lois; elle le préserve tant du scrupule pathologique, que de la légèreté ou du manque de conscience, parce qu'elle fait reposer sur le chrétien personnellement l'entière responsabilité devant Dieu. Ainsi parlent ceux qui prônent la « nouvelle morale ».

ELLE EST EN DEHORS DE LA FOI ET DES PRINCIPES CATHOLIQUES.

13. Sous cette forme expresse l'éthique nouvelle est tellement en dehors de la foi et des principes catholiques, que même un enfant, s'il sait son catéchisme, s'en rendra compte et le sentira. Il n'est pas difficile de reconnaître comment le nouveau système moral dérive de l'existentialisme, qui ou fait abstraction de Dieu, ou simplement le nie, et en tout cas remet l'homme à soi-même. Il peut se

---

lium, quod est capturus, congruant necne capitibus legis normarumve a rebus ipsis abstractarum; eum prohibet quominus legibus ficte simulateque pareat; tuetur denique tum ab insana anxietate tum a levitate animi seu pravitate conscientiae, siquidem totam Deo reddendam rationem in ipsum confert christianum. Ita loquuntur, qui novam praedicant morum disciplinam.

HAEC EXTRA FIDEM EST DOCTRINAMQUE CATHOLICAM.

13, *Nova haec ethica hoc modo declarata tam longe a fide doctrinaque catholica distat, ut vel puer, qui christianae doctrinae elementa teneat, hoc intelligat et advertat. Non enim difficile est animadvertere novam hanc honestatis rationem ab existentialismo oriri, qui Deum neglegit vel simpliciter negat, et, quocumque mo-*

faire que les conditions présentes aient induit à tenter de transplanter cette « morale nouvelle » sur le terrain catholique, pour rendre plus supportables aux fidèles les difficultés de la vie chrétienne. De fait, à des millions d'entre eux sont demandés aujourd'hui, en un degré extraordinaire, fermeté, patience, constance et esprit de sacrifice, s'ils veulent demeurer intègres dans leur foi, soit sous les coups de la fortune, soit dans un milieu qui met à leur portée tout ce à quoi le coeur passionné aspire, tout ce qu'il désire. Or une telle tentative ne pourra jamais réussir.

Les obligations fondamentales de la loi morale

14. On demandera comment la loi morale, qui est universelle, peut suffire, et même être contraignante dans un cas singulier, lequel en sa situation concrète est toujours

---

do res se habeat, hominem proprio committit arbitrio. Esse quidem potest ut praesens rerum conditio ad conatum induxerit transferendi hanc « novam morum disciplinam » in catholicos, ut vitae christianae difficultas fidelibus imminuatur. Namque necesse est ut illorum quamplurimi summa praediti sint patientia, animi firmitate ac constantia, liberalitate in asperis quibusque perpetiendis, ut integra fide maneant, seu adversante fortuna, seu blandientibus circum corruptis moribus, qui large omnia offerunt, quae cupidus animus appetere possit. Conatus sane perpetuo inefficax.

Primariae legis moralis obligationes.

14. *Quaeret forte quispiam qua ratione lex moralis, quae universalis est, sufficere possit et etiam obligare in facto aliquo, quod in suis adiunctis certis definitisque unicum semper est quodque « semel accidit ». Potest lex*

unique et d'« une fois ». Elle le peut et elle le fait, parce que justement à cause de son universalité la loi morale comprend nécessairement et « intentionnellement » tous les cas particuliers, dans lesquels ses concepts se vérifient. Et dans des cas très nombreux elle le fait avec une logique si concluante, que même la conscience du simple fidèle voit immédiatement et avec pleine certitude la décision à prendre.

15. Ceci vaut spécialement des obligations négatives de la loi morale, de celles qui exigent un ne-pas-faire, un laisser-de-côté. Mais nullement de celles-là seules. Les obligations fondamentales de la loi morale se basent sur l'essence, la nature de l'homme et sur ses rapports essentiels, et valent donc partout où se retrouve l'homme; les obligations fondamentales de la loi chrétienne, pour autant qu'elles excèdent celles de la loi naturelle, se basent sur l'essence de l'ordre surnaturel constitué par le divin Rédempteur. Des rapports essentiels entre l'homme et Dieu, entre l'homme et l'homme, entre les conjoints, entre les parents et les enfants, des rapports essentiels de

---

moralis obligare et revera obligat, nam, propter hoc ipsum quod est universalis, necessario et « consulto » singula facta comprehendit, quae sub eius cadunt ditionem. Et reapse, casibus in plurimis illa tam dialectice adstringit, ut conscientia quoque simplicis fidelis percipiat, ipsa per se et certissima rei cognitione, quid sibi sit decernendum.

15. *Hoc autem valet praecipue de legis moralis obligationibus negantibus, quae postulant ne quid fiat, vel ut aliquid omittatur. At non de his tantum. Primariae enim legis moralis obligationes in ipsa hominis essentia seu natura nituntur eiusque praecipuis necessitudinibus, ideoque valent ubicumque homo versatur; primariae vero obligationes legis christianae, quatenus excedunt obligationes legis naturae, nituntur natura ordinis supernaturalis a Divino Redemptore constituti. Ex necessariis au-*

communauté dans la famille, dans l'Eglise, dans l'Etat, il résulte, entre autres choses, que la haine de Dieu, le blasphème, l'idolâtrie, la défection de la vraie foi, la négation de la foi, le parjure, l'homicide, le faux témoignage, la calomnie, l'adultère et la fornication, l'abus du mariage, le peché solitaire, le vol et la rapine, la soustraction de ce qui est nécessaire à la vie, la frustration du juste salaire (cfr. Iac. 5, 4), l'accaparement des vivres de première nécessité et l'augmentation injustifiée des prix, la banqueroute frauduleuse, les manoeuvres de spéculation injustes — tout cela est gravement interdit par le Législateur divin. Il n'y a pas à examiner. Quelle que soit la situation individuelle, il n'y a d'autre issue que d'obéir.

16. Du reste Nous opposons à l'« éthique de situation » trois considerations ou maximes. La première; Nous concédons que Dieu veut premièrement et toujours

---

tem rationibus quae hominem inter et Deum intercedunt, vel inter homines ipsos, inter coniuges, inter parentes et filios; ex necessariis societatis rationibus in familia, in Ecclesia, in Republica, sequitur ut, praeter cetera, odium et maledictum in Deum, deorum cultus, a vera fide defectio eiusque negatio, periurium, homicidium, falsum testimonium, calumnia, adulterium et fornicatio, perversus coniugii usus, peccatum solitarium, furtum et rapina, surreptio necessariorum ad vitam, iustae mercedis fraudatio (cfr. Jac. 5. 4), *coempta suppressaque sine causa annona et carior facta, argentariae fraudulenta dissolutio, iniustae quaestus artes — haec omnia ne fiant Divinus Legislator interdixerit atque imperaverit. Res non cadit in deliberationem; quaecumque enim est privata condicio, nihil relinquitur nisi ut obediatur.*

16. *Huic vero « ethicae secundum rerum condiciones » tres obiicimus cogitationes seu sententias. Primo: concedimus Deum velle imprimis et semper rectam in*

l'intention droite; mais celle-ci ne suffit pas. Il veut aussi l'oeuvre bonne. Une autre: il n'est pas permis de faire le mal afin qu'il en résulte un bien (cfr. Rom. 3, 8). Mais cette éthique agit — peut-être sans s'en rendre compte — d'aprés le principe que la fin santifie les moyens. La troisième: il peut y avoir des situations, dans lesquelles l'homme, et spécialement le chrétien, ne saurait ignorer qu'il doit sacrifier tout même sa vie, pour sauver son âme. Tous les martyrs nous le rappellent. Et ceux-ci sont fort nombreux en notre temps même. Mais la mère des Macchabées et ses fils, les saintes Perpétue et Félicité malgré leurs nouveaux-nés, Maria Goretti et des milliers d'autres, hommes et femmes, que l'Eglise vénère, auraient-ils donc, contre la « situation », inutilement ou même à tort encouru la mort sanglante? Non certes, et ils sont, dans leur sang, les témoins les plus exprès de la vérité, contre la « nouvelle morale ».

---

agendo mentem: at hoc non est satis; vult enim etiam opus ipsum honestum. Secundo: non sunt facienda mala ut eveniant bona (cfr. Rom. 3. 8). *Sed huiusmodi ethica — hoc forte non advertens — secundum illud agit: exitus acta probat. Ac denique tertio, dari possunt rerum condiciones, in quibus homo, et christianus praesertim, ignorare non debet omnia, imo vitam ipsam, esse postponenda, prae animi salute. Martyres omnes hoc nobis admonent, qui quidem plurimi sunt, nostra etiam aetate. Quid igitur? Maccabeorum mater cum filiis, Sanctae Perpetua et Felicitas neglectis filiolis, Maria Goretti aliique sexcenti, viri autem mulieres quos colit Ecclesia, contra rerum condiciones », necem frustra vel imo iniuria oppetierint? Minime sane; at suo sanguine effuso veritatis testes exstant gravissimi contra « novam morum disciplinam ».*

Le problème de la formation de la conscience

17. La où il n'y a pas de normes absolument obligatoires, indépendantes de toute circonstance ou éventualité, la situation « d'une fois » en son unicité requiert, il est vrai, un examen attentif pour décider quelles sont les normes à appliquer et en quelle manière. La morale catholique a toujours et abondamment traité ce problème de la formation de la propre conscience avec examen préalable des circonstances du cas à décider. Tout ce qu'elle enseigne offre une aide précieuse aux déterminations de conscience, tant théoriques que pratiques. Qu'il suffise de citer les exposés, non dépassés, de S. Thomas sur la vertu cardinale de prudence et les vertus qui s'y rattachent (S. Th. 2ª 2ae p. q. 47-57). Son traité montre un sens de l'activité personnelle et de l'actualité, qui contient tout ce qu'il y a de juste et de positif dans l'« étique selon la

---

Quaestio de conformanda conscientia.

17. *Ubi normae plane obligantes nullisque rerum adiunctis vel fortuitis eventibus obnoxiae non habentur, conditio « casus singularis », propter hoc ipsum quod est unica, exigit profecto diligentem accuratamque considerationem, ut statuatur quae normae sint, et quomodo, adhibendae. Catholica morum disciplina semper ac fuse* [*quaestionem tractavit de propria conscientia formanda, perpensis prius facti diudicandi adiunctis. Eius doctrina magnum fert auxilium consiliis a conscientia capiendis et seu rationem seu usum spectantibus. Vel una recolatur S. Thomae doctrina, minime obsoleta, de cardinali virtute prudentiae et de ceteris, quae sunt illi coniunctae* (S. Th. 2ª 2ae q. 47-57). *Eius expositio sensum quemdam tum privatae actionis tum praesentis patefacit, qui totum continet quod « in ethica secundum condiciones » datur iusti et veri, devitans tamen perturbationes*

situation », tout en évitant ses confusions et déviations. Il suffira donc au moraliste moderne de continuer dans la même ligne, s'il veut approfondir de nouveaux problèmes.

18. L'éducation chrétienne de la conscience est bien loin de négliger la personnalité, même celle de la jeune fille et de l'enfant, et de juguler son initiative. Car toute saine éducation vise à rendre l'éducateur peu à peu inutile et l'éduqué indépendant entre les justes limites. Et cela vaut aussi dans l'éducation de la conscience par Dieu et l'Eglise : son but est, comme le dit l'Apôtre (Eph. 4, 13; cfr. 4, 14), l'homme parfait, à la mesure de la plénitude d'âge du Christ ». donc l'homme majeur, qui a aussi le courage de la responsabilité.

19. Il faut seulement que cette maturité se situe au juxte plan! Jésus-Christ reste le Seigneur, le Chef et le Maître de chaque homme individuel, de tout âge et de tout état, par le moyen de son Eglise en laquelle il con-

---

erroresque. Satis ergo erit ut qui nunc morum disciplinam tradit eâdem via procedat, si cupiat altius novas quaestiones perscrutari.

18. *Christiana conscientiae institutio minime neglegit quod est cuique homini, ideoque etiam puellae puroque, proprium, neque eorum infringit molitiones. Quaevis enim sana educatio eo spectat, ut sensim educator fiat supervacaneus et educatus, fines intra certos iustosque, liber. Atque hoc valet in educatione conscientiae etiam quod ad Deum attinet et Ecclesiam; spectat nempe, ut ait Apostolus* (Eph. IV. 13; cfr. IV. 14) « *virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* »; *hominem igitur maturum, cui etiam animus sit reddendi de suis actis rationem.*

19. *Necesse tantum est ut haec maturitas iusto suo loco ponatur. Jesus Christus enim per Ecclesiam suam, per quam agere pergit, manet Dominus, Caput ac Magister uniuscuiusque hominis, aetatis et condicionis.*

tinue d'agir. Le chrétien, pour sa part, doit assumer la grave et grande fonction de faire valoir dans sa vie personnelle, dans sa vie professionnelle, et dans la vie sociale et publique, autant qu'il dépend de lui, la vérité, l'esprit et la loi du Christ. C'est cela la morale catholique, et elle laisse un vaste champ libre à l'initiative et à la responsabilité personnelle du chrétien.

Les dangers pour la foi de la jeunesse

20. Voilà ce que Nous voulions vous dire. Les dangers pour la foi de notre jeunesse sont aujourd'hui extraordinairement nombreux. Chacun le savait et le sait, mais votre mémoire est particulièrement instructif à ce sujet. Toutefois, Nous pensons que peu de ces dangers sont aussi grands et aussi lourds de conséquences que ceux que la « nouvelle morale » fait courir à la foi. Les égarements où conduisent de telles déformations et de tels amollissements des devoirs moraux, lesquels découlent tout na-

---

Homo autem christianus debet, pro parte sua, grave magnumque onus suscipere exsequendi in vita privata et in arte sua, in vita sociali et publica, Christi veritatem, sensum, legem. Haec est catholica morum disciplina, quae magnam christiano homini facit copiam agendi sua sponte suoque pericolo.

Fidei pericula in adolescentibus.

20. *Haec dicere vobis volebamus. Nostro tempore innumera sunt adolescentibus pericula fidei. Nemo hoc ignorabat et ignorat, at vester commentarius hac de re nos imprimis edocet. Putamus tamen ex illis periculis pauca tam gravia esse et effectibus plena, quam quae « nova morum disciplina » fidei affert. Animi enim perturbationes, quas parant officia ex fide naturaliter manantia et per novam illam disciplinam deformata ener-*

turellement de la foi, mèneraient avec le temps à la corruption de la source même. Ainsi meurt la foi.

21. De tout ce que Nous avons dit sur la foi, Nous tirerons donc deux conclusions, deux directives que Nous voulons vous laisser en terminant, pour qu'elles orientent et animent toute votre action et toute votre vie de chrétiennes vaillantes :

Deux conclusions

22. La première — la foi de la jeunesse doit être une foi *priante*. La jeunesse doit apprendre à prier. Que ce soit toujours dans la mesure et en la forme qui répondent à son âge. Mais toujours en ayant conscience que sans la prière il n'est pas possible de demeurer fidèle à la foi.

23. La seconde — la jeunesse doit être fière de sa foi et accepter qu'il lui en *coûte* quelque chose; elle doit dès la première enfance s'accoutumer à faire des sacri-

---

vataque, fontem ipsum denique tandem corrumpunt. Sic fides extinguitur.

21. *Ex his igitur quae de fide diximus, duo concludimus duasque vobis normas relinquimus, quae vestras actiones omnes totamque vitam, feminis vere christianis dignam, dirigant atque alant.*

Duas conclusiones inferimus.

22. *Primo*: *adolescentium fides,* orans *esse debet. Oportet enim, ut illi discant Deum precari, et hoc fiat semper pro modo et ratione aetati quidem convenientibus, at persuasum habentes neminem posse, auxilio Dei non petito, in fide manere.*

23. *Secundo*: *Debet iuventus honeste de sua fide gloriari acceptumque habere eam sibi aliquo* constare;

fices pour sa foi, à marcher devant Dieu en droiture de conscience, à révérer ce qu'Il ordonne. Alors elle croîtra comme d'elle-même dans l'amour de Dieu.

24. Que la charité de Dieu, la grâce de Jésus-Christ et la participation du Saint-Esprit (cfr. 2 Cor. 13, 13) soient avec vous toutes. Nous vous le souhaitons avec la plus paternelle affection. Et pour vous la témoigner, de tout Notre coeur, Nous vous donnons, à chacune de vous et à vos familles, à votre mouvement, à tous ses rameaux dans le monde entier, à toutes vos compagnes qui y adhèrent, le Bénédiction Apostolique.

---

iam a prima pueritia assuescere debet aspera quaedam pro fide perpeti, sancte recteque agere vitam, Dei praecepta revereri; atque ita Dei amore sua sponte adolescet.

24. *Charitas Dei, Iesu Christi gratia et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis* (cfr. 2 Cor. XIII, 13); *hoc paterno sane animo adprecamur. Quod ut testemur, unicuique vestrum, familiis, vestrae Societati suisque consociatis partibus in toto orbe terrarum, omnibus denique sodalibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.*

Annotationes

I.

1. Thema « Nuntii radiophonici » designatur explicitis his verbis: « Tractabimus ergo de conscientia in quantum est obiectum educationis » [**n.** 2]. Fuit enim hic Summi Pontificis sermo per radiophonicas undas missus ad varios « Actionis catholicae » plurimis per totam Italiam in locis adunatos coetus, qui « diem familiae » peragentes, hac occasione hoc anno de « educatione christiana » discutiebant; Pontificia Allocutio radiophonica, habita hora 19,30, « diem familiae » conclusit. Hae

temporis et loci circumstantiae externam quidam designant ansam occasionemque, cur Summus Pontifex « de educatione » locutus sit, elegerit vero ex ampla « educationis christianae » materia, cum noluerit quae in Documentis Pontificiis de ea saepe iam et fuse sint exposita repetere, caput, quod sub hoc speciali aspectu non frequenter, et forte vix unquam, diserte et definite fuit pertractatum scl.: *educationem conscientiae*. At vera propriaque sermonis habiti ratio non est in his externis circumstantiis, quibus Pontifex usus est ad rem tam gravem et multo seriam proclamandam; vera ratio est in periculo quod *conscientiarum integritati ac rectitudini* necnon ipsi « *Ethicae catholicae* » (in quantum haec conscientiis usui est iisque normas suppeditat) imminet ex quorumdam recentiorum apertis vel subtectis tendentiis atque ideis. Hi enim « generali revisioni » submittere et plus minus modificare volunt Ethicam catholicam, quae « in usu est » atque sub vigilantia Ecclesiae et per Ecclesiam fidelibus proponitur. Quod enim observatum est in campo dogmatico, observatur nunc certis in regionibus vel circulis in campo morali; sicut illic introducere attentabant « theologiam novam », nunc hic viam parare student « Morali novae ». Quicumque attente perlustraverit sermonem radiophonicum d. d. 23 Martii 1952 et Allocutionem, vix uno mense post eum habitam die 18 Aprilis, ex verbis Pontificis facile deducet hanc de facto fuisse veram utriusque discursus causam, quaque nos ideo induci debeamus ad argumentum Pontificis diligenter perscrutandum et graviter ponderandum.

2. In initio expositionis a Pontifice monetur: conscientiam, quamvis censeri possit res maxime in profundo hominis abscondita, ad quam praeter Deum et proprium « Ego » nemini aditus pateat, vero tamen sensu obiectum « educationis » esse et dici posse. Quod ut appareat, quaedam observationes generales de normis

« conscientiae christianae efformandae » praemittuntur (**n. 5-7**). Uniuscuiusque enim circa proprios actus in conscientia autodirectio et decisio fit et facienda est secundum rectas ad agendum normas, quae sunt de actionum ponendarum qualitate morali, de earum honestate vel inhonestate, liceitate vel illiceitate. Unde deducitur: educationem conscientiae christianae in eo esse, ut, qui alios educandos habet, primo eos docendo illuminet, quaenam sint normae sequendae; dein eos hortando et dirigendo inducat, ut normas cognitas in suis actibus exsequantur (**n. 5-7**).

3. Est autem *ipse Christus Dominus*, qui, communicando nobis suam veritatem suamque gratiam (sine qua nil facere valemus), et normas in conscientia efformanda adhibendas nos edocuit, et suae gratiae dono nos aptos et promptos reddidit ad eas observandas. Hinc ei, qui aliorum conscientiam, eamque utpote *christianam*, educandam habet, licitum esse non potest: quascumque vel cuiuscumque « regulas vitae et actionis » proponere et docere, sed ei proponenda sunt *Christi* verba, voluntas, vita. Et ne singulis, sive educantibus sive educandis, difficile sit veritatem et voluntatem Christi invenire et cognoscere, Christus suam Ecclesiam instituit eamque continua Spiritus Sancti assistentia munivit, ad edocendos omnes omnem Christi veritatem tum quae fidem tum quae fidelium mores et vitam spectant. Hinc nulli christiano (sive in suo de rebus fidei et morum iudicio, sive in sua secundum christianas normas componenda vita et actione) licet se subtrahere sive Christo sive Ecclesiae (**n. 8-9**).

4. Posita hac generali principiorum regula, Allocutio intrat in principale et proprium sermonis argumentum, scl. in designandos et repellendos grassantes hisce temporibus errores ethicos. Et primo loco nominatur quorundam — (quae in campo dogmatico iam antea fuit atten-

tata) — *revisio generalis* Ethicae christianae atque « valorum moralium ». Ad quam revisionem peragendam fautores eius docent: Ethicam christianam — (ex diuturno iam tempore infectam et quasi suffocatam sophistica et pharisaismo proxima « casuistica ») — liberari debere ab angusta et angustiante *Ecclesiae vigilantia et anxia « pedanteria »* et reduci ad suam primaevam et simplicem formam, quae est in *uniuscuiusque sana mente* et in *propriae indoli adaptata christiana conscientia* (**n. 10-12**).

5. Monet Summus Pontifex: tali revisione everti educationis christianae fundamentum, a Christo positum; huius « *Moralis novae* » vitium principale in eo esse, quod non (prout praetendit) adaperiat et ingressu faciliorem reddat christiane sentiendi et agendi viam, sed eam praecludat, divertendo conscientias a vitae christianae meta firma, fixa, non fallibili, qui est Christus. Ethicam christianam esse partem *revelationis Christi,* quam Christus non dederit immediate singulis, sed Ecclesiae ad eam communicandam cum omnibus; item *assistentiam Spiritus Sancti,* qua revelationis recta expositio in tuto collocetur et omnis ipsius Ecclesiae aberrantia et deficientia arceatur, non esse datam singulis, sed Ecclesiae; quae sic, utpote « organismus vivus », (non impedita « petrefacto rigidismo », sed vivi organismi instar) principia Christi variatis temporum et locorum conditionibus proponere et secundum ea hominum conscientias dirigere valeat, quin mentem et voluntatem ipsius Christi missam faciat. Quod hodie maxime videre est in campo sociali. — Unde patet huius capitis conclusio: Ethica, praevalenter individualistica atque in principiorum tum interpretatione tum applicatione directioni et vigilantiae Ecclesiae subtracta, *non est Ethica a Christo stabilita;* neque ex hac « Morali nova » sperari possunt nisi fructus venenati idest erroribus atque deficientiis hominum nimis vitiati. E contra Ethica vere christiana, idest Ethica verbis et principiis

Christi mensurata atque per Ecclesiam in via veritatis et honestatis custodita atque directa, abundantem valoris et rectitudinis probationem habet tot Sanctos et tantam fidelium multitudinem, secundum has Christi et Ecclesiae normas ad Christi exemplum per saecula efformatos (**n. 13-18**).

6. Sequuntur accusationes, quas dicti fautores « revisionis » et « simplificationis » contra acceptam et in Ecclesia vigentem Moralem christianam movent. Hanc dicunt: adversari hominis libertati et fundamentali legi caritatis, abundare autem in proclamandis praeceptis et vetitis (urgendo semper usque ad nauseam: « obligaris », « non licet tibi ») (**n. 19**).

Quam accusationem refellit Pontifex dicendo: velle Ecclesiam ac summopere exoptare, ut christanus homo et in specie iuventus christiana suavi et persuasivo modo in fidei et gratiae christianae divitias introducantur, ut inclinentur ad eas profunde penetrandas, amandas atque degustandas; at ex altera parte, cum agatur non de huius vel illius « docti » systemate morali docendo, sed de *Ethica Christi* menti et cordi fidelium inserenda, reticeri vel dissimulari non posse *seria et severa ipsius Christi verba,* quibus essentialia suae Ethicae capita extulit, categorice exigendo: adimplendam in omnibus Dei voluntatem, servandam per totam vitam Dei nota praecepta Decalogi, exercendam quotidie sui ipsius abnegationem, ferendam semper (Christum ducem sequendo) crucem Christi; reverendum et timendum Deum, supremum Dominum et iudicem, qui potestatem habeat animam et corpus detrudendi in gehennam. Replicat dein Allocutio: haec severa monita verba esse supremi et omnium peritissimi *paedagogi,* Christi, qui melius omnibus aliis noverit, qua via et modo cor hominis, et in specie mens animusque iuventutis, adduci queant ad introspi-

ciendam ac pergustandam dulcedinem et libertatem, quae in Christi lege, veritate et gratia recondantur (**n. 20-22**).

Pergit Pontifex in hoc argumento discutiendo et monet: eandem esse doctrinam ethicam Apostoli gentium, qui abundet quidem effatis quibus celebret divitias revelationis Christi, plenam libertatem christianorum quoad omnium virtutum exercitium (« adversus huiusmodi non est lex » Gal. V, 23), qui iucundos uberrimosque fructus Spiritus denotet (Gal. I. c., 22), tamen non diminuat neque dissimulet Ethicae Christi severitatem, scribendo: « cum metu et tremore vestram salutem operamini » (Phil. II, 12). — Concluditur huius capitis argumentatio observatione: si quis quid Ethicae christianae, prout hodie proponatur, vitio vertere praesumpserit, hoc non posse esse, quod contra Christi doctrinam et praecepta, nimis severe procedat, sed quod multum condescendat ad huius temporis hominum debilitatem ac fragilitatem. Movere accusationes contra Ecclesiam ideo, quod nolit Christi Ethicam emolliri et enervari, quod excessivam severitatem vel casuisticam « pedanteriam » exerceat, esse: accusare ipsum Christum, qui severis his verbis usus sit et severa haec « postulata ethica » edixerit (**n. 23**).

7. Ne autem expositio sistat in generalibus Ethicae Christi normis enumerandis, Pontifex dein ad nominanda *postulata particularia* transit. Breviter in memoriam revocat Allocutionem, habitam die 29 Oct. 1951, de problematis vitae coniugalis [cf. *Act. Ap. Sed.* 43 (1951) p. 835-854; « *Periodica* » tom. XL (1951) p. 331-432], dein statim, cum nunc agatur de *iuventutis* conscientia educanda, transit ad explicitum seriumque monitum de castitate per totum iuventutis tempus servanda; reicit falso assertam, praesertim quando iuvenis subit pubertatem, integrae castitatis impossibilitatem; item falso assertam vitii solitarii inculpabilitatem, cum asserant: vehementia concupiscentiae passim auferri ad peccatum mortale ne-

cessariam libertatem; urget obligationem resistentiae in pugna firmiter constanterque opponendae; reprobat qui, quoties ad iuventutem de castitate loquuntur, non nisi de virtutis angelicae flore ac pulchritudine verba faciunt, reticita vel dissimulata gravi ad eam servandam ex lege Dei obligatione [**n. 24-25**].

Quam expositionem Pontificis qui attente legerit et paulo versatus sit in ideis (viva voce et in scriptis hodie sparsis), facile intelleget: ubinam et quamnam Summus Pontifex videat ac timeat Ethicae et conscientiae christianae « revisionem », « adaptationem », « simplificationem », cui certi « Moralis novae » fautores tecte vel aperte viam sternere conentur.

8. Nominatis hoc modo deviis vitae privatae tendentiis, nominantur deviae tendentiae in *vita publica,* quam vitam quidam censeant et velint subtractam ordini morali, ideoque statuant ac exigant quandam vitae publicae *exemptionem* et *emancipationem* (tempore pacis et tempore belli), quasi in determinatis activitatis humanae sphaeris nulla esset Deo Deique legi competentia (n. 26). Ut probent hanc *emancipationem ethicam,* afferunt considerationem philosophicam atque urgent: scientiam, artem, politicam, oeconomiam, etc habere proprias, quibus in suo campo regantur, leges ideoque esse *autonomas* et *exemptas*; et si in fine finali hae propriae leges concordent cum legibus moralibus, hanc consonantiam esse « per accidens » ideoque non probare illarum legum intrinsecam connexionem ac multo minus earum sub normis ethicis subiectionem. — Respondet Summus Pontifex: assertas « autonomias », in quantum his nil aliud significare intendant atque: esse regulas scientiae, artis, politicae etc., quibus recta cuiusque huius sphaerae methodus, abstracte et theoretice sumpta, designetur et ab ab aliis sphaeris discernatur, non esse damnandas; at, quod attinet ad *exemptionem moralem,* istas « autonomias » admitti non posse

quoad *subiectum,* idest hominem, in variis his campis suam activitatem exercentem, et quoad hominis conscientiam; item quoad *influxum,* quem certi hisce in rebus agendi modi de facto in sphaeram moralem exserant. Nam *hominem qui agit,* in qualicumque campo et sphaera esse semper eundem, *unum et indivisum, unam personam, unum « Ego »,* et ut talem in omni sua activitate deliberata (in sua conscientia et coram Deo) esse subiectum legibus ethicis, a Deo et a Christo statutis; et suum in quacumque actione deliberata dictamen conscientiae ab his normis moralibus mensuram sumere debere. — Impartiali arbitro insuper perspicuum esse: autonomiis et emancipationibus, quae nomine scientiae, artis, aliarumque sphaerarum exigantur, haud raro obtegi: egoismum, dominandi vel ditescendi voluntatem, aliasque cupidines, in activitate publica aeque atque in privata dictaturam quandam sibi arripientes. Unde esse, quod praetensa autonomia et independentia ethica persaepe transeat in *rebellionem ethicam,* quae in amplo activitatis publicae campo nec conscientiae nec legi Christi et Dei subesse velit. Ecclesiam autem, si reicit conscientiae et hominis a lege morali independentiam in omni eius deliberata actione, non vinculare neque obstringere veram homini a Deo datam libertatem, neque sese intromittere in competentiam ac sphaeram publicae auctoritatis civilis: sed et hominem et auctoritatem publicam velle praeservare et reapse ea praeservare contra errores et abusus, quorum in campo publico ansae et causae sint permultae. — Finitur hoc discursus radiophonici caput monitione: ad conscientiae christianae in iuventute efformationem pertinere: hanc legis christianae extensionem ad quemlibet activitatis humanae, etiam publicae, campum edocere, inculcare, et ita in iuvenum conscientiis germen ponere, ex quo, tamquam fructus, futuri temporis melior condicio sperari possit **(n. 26-29).**

9. In totius discursus conclusione, memorato iterum profundo angore, quo, intuitu periculorum, quae educationi conscientiae christianae imminent, mens animusque Summi Pontificis premitur, summarie denotantur *fructus et effectus,* in quos obtinendos educatio christiana tendere debet.

Educandi sunt iuvenes ad Dei amorem et timorem; educandi ad conscientiae ac vitae *veracitatem* et sinceritatem; qui effectus sane non obtinebitur, nisi qui alios educant, hanc veracitatem in suo educandi modo ipsi servent et teneant. Educandi sunt ad veram *libertatem,* quae non non est in infreni cogitandi et volendi dissolutione, sed in sui ipsius secundum legem Christi dominatu. Educandi tandem sunt ad solidam *pietatem,* ad assiduam orationem, ad Sacramentorum frequentationem; quia conscientiae puritas et integritas non servatur, nisi hausto ex commercio cum Deo et ex fontibus gratiae auxilio divino. Qui tali modo et ad tales fructus educantur, revera Christum in propria sua conscientia et vita efformare poterunt (**n. 30**).

Adicitur brevis, sed instans ad mutuam concordiam et unitatem servandam deprecatio, ut, postpositis omnibus, quae non nisi scopo et fini particulari cum detrimento boni communis destinantur, educatio christiana in suis fructibus apud omnes populos manifesta fiat (**n. 31**).

II.

10. Altera Allocutio, supra exhibita, ad membra internationalis Congressus die 18 Aprilis 1952 habita est, quem per plures eiusdem mensis Aprilis dies Romae instituit « Fédération Mondiale des Jeunesses Féminines Catholiques ». Ratio vero, cur haec Allocutio hic Nuntio radiophonico d. d. 23 martii huius anni adiungatur, in eo est, quod quoad substantiam de eodem argumento, scl.

de *Ethica nova* (« nouvelle morale ») agit, pertractando eius profundiores radices et fontes. Testes utriusque huius sermonis nexus sunt ipsius Pontificis verba: « Nous avons déjà parlé de la « nouvelle morale » dans Notre Message Radiodiffusé du 23 mars dernier aux Educateurs Chrétiens. Ce que Nous disons aujourd'hui n'est pas seulement une continuation de ce que Nous avons traité alors; Nous voulons dévoiler les sources profondes de cette conception » (**n. 5**).

11. Quoad sermonem ipsum haec notanda videntur. Breviter allegata pristina Allocutione, habita die 11. Sept. 1947 ad Delegatas « Unionis internationalis Sodalitatum mulierum catholicarum » ob communem Conventum Romae coadunatas (cf. Act. Ap. Sed., 39 [1947] p. 480-488), summaria fit mentio programmatis, cui tractando actualis Congressus iuventutis femineae destinatus fuit, scl.: « La Foi des Jeunes ». Multa, quae ad hoc argumentum faciunt, Pontifex se iam pertractasse dicit sive in nominata Allocutione anni 1947 sive in aliis Allocutionibus hanc vel antecedentibus vel subsequentibus, neque haec adstantibus esse incognita; nunc sibi in animo esse, aliud phaenomenon idque magis recens denotare, quod per se quidem ad omnes, peculiari tamen modo ad iuventutem eiusque educatrices atque ductrices pertineat, quodque phaenomenon peraptum sit ad « fidem » obnubilandam, veneno inficiendam ac tandem suffocandam, et quidem ideo, quia hoc commentum novum, quae fides christiana in moribus servare iubet, facit paulatim sentiri « molestum onus » et « sarcinam taediosam », iter liberae laetaeque actionis ac vitae nimium retardantia **(n. 1-3).**

12. Recens hoc fideique christianae nocivum phaenomenon a Pontifice significatur « vitae ethicae nova idea atque aspectus », (« une nouvelle conception de la vie morale »), quod, licet ratione sui spectet ad campum moralem,

minime tamen segregatum atque lontanum esse a campo fidei, tum quia *Ethica christiana* fundamentum habeat fidem christianam, tum — (quod neminem latet) — quia ad fidem integram servandam ac plene evolvendam, multum conducat, immo necessarium sit: conscientiam sincere semperque, maxime vero tempore iuventutis, efformari et efformatum tenere secundum normas ethicas sanas et rectas, ex fide desumptas (**n. 4**).

13. Proponit sibi Pontifex: novi huius *Ethicismi* primo fontes et radices patefacere; dein eius praecipua denotare principia; insuper totius commenti cum Ethica catholica contentionem facere atque comparationem, tandem de eo ferre sententiam.

14. *Termini* (qui adhibentur ad novum systema denominandum et quorum sensum in Allocutione magis accurate circumscribitur), scl.: « *exsistentialismus ethicus* », « *actualismus ethicus* », « *individualismus ethicus* », « *Ethica situationis* », non ponuntur tamquam *termini technici,* communiter iam recepti, (excepto forte ultimo qui in nonnullis regionibus iam in frequenti usu esse et sensum specificum habere videtur*), sed quia bene inserviunt ad nucleum et nervum « *Ethicae Novae* » designandum, insuper ad fontem significandum, unde haec promanat (**n. 5**).

15. Criterium distinctivum, quo « *Moralis nova* » a tradita « *Morali catholica* » discernatur, a Pontifice dicitur in eo esse, quod haec basim et fundamentum habeat

(*) Cfr. articulum conscriptum a Jos. Fuchs, S. J. de « Ethica situationis, considerata sub aspectu theologico » (« Situationsethik in theologischer Sicht ») in folio Periodico *Scholastik,* XXVII [1952] p. 161-182; praeterea eiusdem auctoris recensionem plurium librorum Ernesti Michel, in eodem folio periodico XXV [1950] p 308-310.

leges universales (e. gr. praecepta Decalogi), illa autem *circumstantias particulares,* individuales omnino, tales, quales sunt, non nisi una et unica vice occurrentes, semper variatas (aliis verbis: « *situationem actualem* »). Et cum quaelibet actio humana sit ponenda non in abstracto, sed in concretis uniuscuiusque casus propriis circumstantiis, iuxta hanc Ethicam novam conscientia, antecedens autodecisionem hominis, normam atque mensuram decisionis nequit sumere leges universales vel principia aeterna, inflexibilia ac rigida. — « *Moralis catholica* » autem et universalia eius principia innituntur rerum essentiis atque ex essentiis resultantibus relationibus; hinc eius essentialia postulata non dependent a « *Situatione* » seu a singularum casuum condicionibus variantibus. — Exemplum huius considerationis « essentialis » afferuntur verba Apostoli gentium (cf. Rom. I, 19-21) qui omnes cuiusvis gentis ac temporis idololatros dicit « inexcusabiles »; neque Apostolus ullo modo hac in re rationem habet « *situationis* » **(n. 6).**

16. At, ne quis contra rei veritatem asserat: auctores et fautores novae Ethicae generalia Ethicae communis principia negare vel simpliciter reicere, monet Allocutio: illos, (quamvis haud raro ad illa principia neganda prope accedant), inprimis in hoc tendere, ne haec principia absoluta ponantur in *centro* activitatis moralis et conscientiae, sed ut ad extremam peripheriam reprimantur. Etsi saepe dictamina conscientiae, secundum *Moralem novam* efformata, coincidant cum dictaminibus ordinariis et usitatis, tamen secundum allegatos Novatores illa ab his multum differre ratione originis et modi efformationis. Neque enim *Ethica nova* illa principia — (in se minime reprobanda) — habet *collectionem praemissarum,* ex quibus secundum Logicae regulas dictamen conscientiae deducatur, tamquam *consequens* syllogismi (sive expliciti sive impliciti); hinc *coincidentia* », si adest, non

est tribuenda dictis principiis. Nam centrum, mensura, fons dictaminis conscientiae non sunt: ideae, principia, rerum essentiarumque « ordines », sed est « *bonum* », quod homini huic, sincere consideranti et sincere volenti, appareret in actuali hac — (una, numquam iterata nec iterabili in futuro) — condicione huius subiecti secundum valorem realem et individualem, quem idipsum bonum habet pro hoc individuali subiecto, *verificandum vel conservandum.* Et explicatur haec « Moralis novae » ultima et radicalis regula paucis exemplis, in quibus « conscientia sincera » est principium determinans et justificans: uti in « sincera defectione a fide catholica », in « sincera sensualitate » exercita inter duos non matrimonio iunctos ad sincerum mutuum affectum realizandum; in sincero abusu matrimonii », exercito ex sincera conscientia, dictante valorem biologicum, utpote inferioris ordinis, missum fieri posse (immo forte debere) ad realizandum et inter coniuges conservandum valorem personalem, ordinis certo multo superioris (**n. 8**). Notum est hanc ultimam considerationem et conscientiae conclusionem iam prolatam, defensam, propugnatam fuisse in sermonibus et articulis anno 1930, paucis mensibus ante editas Litteras Encyclycas « Casti connubii » publicatis.

17. Quamvis a dictis Novatoribus edoceamur: proposita theoremata et dictamina primo aspectu offendere contra ipsius Dei praecepta, nihilominus dicunt: ea neque coram Deo esse neganda, et quidem ideo, quia coram ipso Deo ultimatim prae lege et praecepto praevaleat hominis sincera conscientia subiectiva, sincere efformata (**n. 9**). — Eandem Ethicam novam dici volunt « activam » et « creativam », non autem « passivam » et « receptivam », prout ex iam dictis facile patet. Nam haec Ethica normam conscientiae non ponit aliquam legem ab extra allatam (sive scriptam in uniuscuiusque corde, sive alicui auctoritati humanae datam, communicandam cum aliis);

secundum eam conscientiae decisio *creatur* ab intra, per propriam intellectus et animi considerationem ac per omnium casus particularis circumstantiarum sincere factam ponderationem (**n. 10**).

18. Speciale pondus et momentum in nova Ethica tribuitur « *individualitati* » et « personalitati » conscientiae. Quod ita intellegitur: in conscientiae decisione duo tantum inter se agunt: τὸ « *Ego humanum* » uinuscuiusque et τὸ « Ego ipsius Dei »; inter hos duos nihil omnino interponitur nec admittitur: nulla lex, nulla alia norma, nulla auctoritas (vel publica vel privata), nulla collectivitas, nullus cultus et ritus. Sic apparet: quamlibet deliberatam conscientiae decisionem esse et sensu proprio dici debere quendam hominis coram Deo « *ausum personalem* » (« un risque personnel »), quem homo serio et sincere praesumit peragere coram Deo. Et Deus ex sua parte in conscientiae decisione, quam homo peragit, nil attendit nisi haec duo: 1) hominis mentem et voluntatem rectam, et 2) hominis ad vocem conscientiae sincerum responsum actionis. Reliqua, in specie actus positi obiectum et materiam, etsi haec discrepant a generalibus Dei « legibus » (e. gr. abiectionem fidei catholicae, divortium, directa foetus occisio, denegatio oboedientiae erga legitimam auctoritatem intra limites suae competentiae praecipientem, etc. etc.): Deus scit neglegere eisque quoad hominem sincere agentem supersedere (**n. 11**).

Iuvat afferre « Monitum », quod die 12. Junii 1952 (Festo Corporis Christi) Em.mus Archiepiscopus Milanensis ad suos dioecesanos direxit de « *Riarmo Morale* » (« Movimentum religiosum-morale », denominatum a Caux), in quo « Movimento » inveniuntur haud paucae ideae ac tendentiae « *Moralis Novae* ». Ci consta che anche dopo il nostro allarme del giugno dell'anno scorso, il movimento « Eterodosso » del « Riarmo morale » continua la sua propaganda anche in Milano, appoggiandosi alla buona fede di alcuni cuori generosi, che propagano e finanziano l'iniziativa.

Ripetiamo ciò che abbiamo già dichiarato altra volta ai fedeli.

* * *

Il movimento, d'origine e di sistema protestantico, è fuori dalla guida e dal controllo della Chiesa, e perciò è detto « Eterodosso ». E' un'altra cosa dalla Fede cattolica.

Il movimento segue il sistema protestante, perchè saltando a piè pari la Chiesa Cattolica, l'unica incaricata da Gesù Cristo a trasmettere alle anime i tesori della Redenzione, vuol porre direttamente gli spiriti ad immediato contatto con Dio e colla sua grazia. Il che è contro l'ordinamento divino e contro il S. Vangelo. Nel presente ordine, non si può giungere al Cristo, che per la Chiesa sua.

* * *

Il movimento è anche pericoloso sia per i cattolici, sia per gli acattolici.

E' pericoloso — a dir poco — per gli acattolici, perchè presenta loro una forma religiosa dimezzata e soggettiva, una morale senza dogmi, senza un principio d'Autorità, senza una Fede supremamente rivelata, pecore senza pastore e fuori dal legittimo ovile di Cristo. In una parola: una religiosità arbitraria, e quindi gravida di errori.

* * *

Il movimento è soprattutto pericoloso per i Cattolici, perchè, avendo Gesù Cristo inviato il suo Spirito Paraclito sulla Chiesa perchè « la introduca a tutta intera la verità », essi, i Riarmisti, la vanno invece a cercare a Caux, dove ritrovano un pietismo soggettivo e di autentica marca protestante.

* * *

A questi Cristiani desiderosi d'un autentico « Riarmo morale » fondato sul Dogma Cattolico e non giä sul sentimento soggettivo, Dante ripeterebbe: « Avete il Vecchio e il Nuovo Testamento, — E il Pastor della Chiesa, che vi guida; — Questo vi basti a vostro salvamento ».

Milano, *Corpus Domini* MCMLII

† Ildefonso Card. Arciv.

(L'Osservatore Romano, 18 Giugno 1952, n. 142, pag. 4, col. 5 et 6).

19. Ex hac nova Ethica exsistentiali, creativa, personali secundum eius asseclas et fautores haec fluunt *emolumenta et pretiosi effectus.*

Talis sentiendi agendique modus competit et congruit: *maturae interni hominis aetati* (« maiorennitati christianae ») atque relationi « filii » ad « Patrem », propter quam Christus nos docuit orare: « Pater noster ». Hac conscientiae efformandi methodo homo liberatur ab anxia illa et indigna necessitate recurrendi semper ad « paragraphos » et « canones »; eum praemunit contra hypocrisim et pharisaicam « legalitatem » in observandis praeceptis et ordinationibus; munit eum etiam contra omnem pathologicam scrupolositatem. Et non minus eum defendit contra laxitatem levitatemque in conscientiae efformatione, nam totum grandeque responsabilitatis pondus unicuique, in sua « persona », coram Deo imponit et ferre cogit. — Sic nos edocent memorati Ethicae novatores (**n. 12**).

20. Expositioni systematis adiungitur eius *ponderatio et crisis* secundum doctrinam et principia catholica. Monet Allocutio: systema forma, qua expositum sit, tantopere discrepare a principiis Ethicae catholicae, ut haec discrepantia nullum catholicum latere possit. Facile detegi etiam fontem, ex quo originem sumat, scl. ex consideratione exsistentialismo propria, quae (Deum vel simpliciter negans vel ex toto negligens) unice attendit ad exsistentem hominem et ad exsistentes eius actuales et concretas vivendi atque agendi condiciones. Si nihilominus huius systematis quaedam ideae et tendentiae variis in regionibus etiam inter catholicos observari possint, praeterquam ex aliis rationibus, maxime ex hoc intelligi et explicari posse, quod « Moralis novae » fautores iuvare velint ingentem catholicorum multitudinem, qui in realibus magnae miseriae condicionibus vitam agere debent, et qui principia moralia, per Ethicam catholicam propo-

sita, grave sentiunt onus ac pondus; et quibus illi sublevamen quoddam velint praestare (**n. 13**).

21. At in Allocutione catholici attenti redduntur, legem ethicam universalem comprehendere etiam omnes casus particulares cum omnibus suis exclusivis et non nisi semel occurrentibus condicionibus atque circumstantiis. Et ratio additur; scl. in condicionibus utcumque variantibus et variatis eandem semper haberi naturam humanam, variam quidem quoad qualitates accidentales, non variam (neque in individuis neque in diversis locis et temporibus) quoad naturae humanae elementa essentialia constitutiva et quoad essentiales ex essentia resultantes relationes. Generales vero et absolutae leges morales inniti ipsis his elementis essentialibus et essentialibus relationibus; ideoque valere et urgere, ubicumque habetur essentia naturae humanae et quia habetur, quaecumque sint particulares condiciones, in quibus particularis homo versetur. Hanc veritatem immediate patere quoad postulata ethica negativa, quibus eorum omissio exigitur, quae intrinsecus sunt mala; valere autem etiam quoad postulata positiva, quae sint de actibus positivis, absolute a Deo exactis, cum vel ex natura hominis vel ex positiva Dei voluntate absolute eos statuente postulentur. Quoad omnes has absolutas normas generales homini nihil in casu particulari deliberandum relinque, sed ei esse oboediendum legemque divinam exsequendam. Ideo in his non esse locum « Ethicae situationis ». — Plura adduntur ex variis capitibus « Ethicae catholicae » exempla, vitae tum privatae, tum publicae (**n. 14-15**).

22. Tres dein hucusque contra totam « Ethicae novae » argumentationem expositis adiiciuntur observationes; quarum prima est haec: Concesso, quod Deus inprimis et semper exigat hominis agentis rectam internam voluntatem atque intentionem, inde deduci nequit: Deo

hoc sufficere. Deus exigit insuper, ut ipse *actus* agentis sit bonus, (**n. 16**).

Hoc loco intrant variae et intricatae quaestiones: 1) de actu, posito ex conscientia inculpabiliter atque invincibiliter erronea; 2) quaestio, an fundamentalia principia moralia, et quaenam, ab homine inculpabiliter ignorari possint; 3) quaestio nondum sufficienter discussa, an sic dicta « conscientia larvata » vel « conscientia duplex » — (quarum altera exhibet iudicium morale, spontanee ortum et in fundo animae perdurans; altera contra primam argumentis reflexis composita atque ut norma agendi coram proprio Ego et coram aliis statuta): an scl. haec larvata conscientia dici debeat et sit « *conscientia erronea* », an potius « *conscientia mendax* », qua quis et se et alios dolose decipere attentat. Allocutio has quaestiones non pertractat neque in eas intrat; relinquit earum discussionem theologis.

23. Nihilominus quoad primam quaestionem scl. de conscientiae invincibiliter erronea necessario moneri debet, essentialem esse differentiam inter theoremata « Moralis novae » de functione conscientiae individualistica et personalistica, et communem moralistarum catholicorum de conscientia invincibiliter erronea doctrinam. Secundum hanc conscientia invincibiliter erronea admittitur quidem tamquam agendi « norma per accidens »; quam quis licite sequitur. At in tali casu actus positus, si *in se consideratur seu secundum sua elementa constitutiva*, est et manet ordini recto contrarius, et ab ordine recto condemnatur et reprobatur; ipso Deo circa huiusmodi actum minime indifferenter, et multo minus approbative, se habente. Quod secundum Ethicam christianam in casu conscientiae invincibiliter erronea approbari potest et debet: nil est nisi *formalis oboedientia* erga vocem conscientiae (et sic erga Deum), praestita et exercita in actu qui ponitur; non autem est ipse actus, qui ex tali conscientia et oboedientia

procedit, secundum sua elementa constitutiva in se sumptus. (Vel ut alii loquuntur: in casu conscientiae invincibiliter erroneae ordini recto conformis est « *positio actus* », non autem « «*actus positus* ». Qua brevi formula id idem significare volunt quod modo est expositum). Exemplum sit additum, ut appareat, quid qui ita loquuntur velint dicere. Si medicus, peritus et sincerae conscientiae, ex conscientia invincibiliter et inculpabiliter erronea in proprio patre peragit euthanasiam, ut patrem, qui insanabili et dolorosissimo morbo laborat, brevique moriturus praevidetur, a cruciatibus et doloribus liberet, quos filius alia via nec auferre nec mitigare potest: directa haec proprii patris occisio, si in se sumitur, est gravis laesio ordinis recti, neque ut talis sive a Deo sive ab homine recti et sani iudicii honesta et licita dicitur. At formalis huius medici erga suam conscientiam oboedientia, quam in euthanasia peragenda praestat, ordini recto est conformis. Sub alio et alio ergo aspectu eadem actio est probanda et reprobanda; reprobanda, quatenus medicus oboediendo suae conscientiae, patrem directe occidit; probanda, quatenus in occidendo patre, suae conscientiae (ex supposito inculpabiliter et invincibiliter erroneae) oboedit. — Non ita de hoc phaenomeno sentit « Nova ethica », quae in allegatis circumstantiis *ipsum actum, in se sumptum,* declarare praesumit, etiam coram Deo rectum, quia hic actus « situationi concretae » et conscientiae ea innixae correspondet, et quia Deus ordinem rectum, *in se sumptum,* quoad activitatem humanam non respiciat, sed solummodo *hominem* eiusque *conscientiam.*

24. Altera observatio quam Pontifex urget, continetur principio: non licet facere mala, ut eveniant bona. Dicti novatores morales — (ita innuit Pontifex) — sequuntur, fortasse minus reflexe et conscie, axioma reprobandum et reprobatum: finis sanctificat media.

Tertia quam facit Pontifex observationem eamque

pergravem, in memoriam revocat: esse « situationes », in quibus quilibet homo, et in specie quilibet christianus, independenter ab omni ulterius facienda consideratione, paratus esse debeat ad omnia sacrificanda et missa facienda, non exclusa propria vita. Tamquam argumentum huius tertiae observationis afferuntur heroica *martyrum* exempla, data antiquis, recentibus et recentissimis temporibus (**n. 16**).

25. Haec sunt dicta de iis casibus, in quibus ex principio, absoluto modo valente, immediate innotescit, quid sit agendum. Sed neminem latet: alios esse casus eosque permultos, in quibus, quid agi vel omitti debeat, ex nullo principio generali et absoluto erui queat. In tali rerum condicione, antequam conscientia ad decisionem perveniat, ulterior inquisitio in substantiam atque circumstantias actionis ponendae, ergo in « situationem individualem », instituenda est. Pontifici quoad hos casus paucis verbis monere sufficit: hoc nihil novi esse in Ethica catholica. Hinc sine addito Allocutio remittit ad celeberrimum et classicum S. Thomae Aquinatis tractatum de virtute cardinali prudentiae, ubi quilibet invenire possit, qua via et methodo tum propriae conscientiae tum ipsi doctrinae Ethicae christianae satisfacere queat, necnon generalium principiorum legitimam applicationem adaptationemque ad personas singulas, ad temporis, loci, culturae conditiones, etiam huius nostrae recentissimae aetatis peragere liceat et debeat (**n. 17**).

26. Cum « *Moralis nova* » alta voce proclamat multumque urgeat « *maturitatem conscientiae* » et « *maiorennitatem ethicam* » hominis christiani, Pontifex respondet: iam ipsas Sacras Litteras « *maiorennitatem ethicam* » et « *maturitatem aetatis adultae in Christo* » proclamasse et laudibus extulisse, neque Ecclesiam huic ullo modo obstare neque iustae illi et rectae « *independentiae morali* »

sese opponere, quam homo adultus sibi vindicet, utpote qui nolit tractari tamquam infans et immaturus puer. At simul in Allocutione repetitur quod fuse iam in ea fuerat dictum, scil.: religiosam et ethicam *independentiam* non esse neque posse esse absolutam; hominem enim omnem, quantumvis sit maturus et adultus, se submittere debere Christo et Deo, veritati et legi a Deo et Christo hominibus comunicatae, submittere etiam Ecclesiae, in qua Christus Dominus homines agere, docere et dirigere pergat per hanc suam Ecclesiam. Intra hos vero limites amplissimum patere campum, in quo secundum Ethicam catholicam quilibet libere perficiat eum, quem tantopere volunt et extollunt, « *ausum decisionis personalis* », et quoad suam conscientiam et vitam unusquisque assumat ultimam plenamque coram Deo suae conscientiae et vitae responsabilitatem, quam dicunt et volunt competere homini adulto, quippe qui se ipsum sua voluntate et conscientiaa dirigat et determinet (**n. 18-19**).

27. Finita hoc modo expositione et reprobatione dicti systematis Novatorum, Allocutio redit ad programma et thema Congressus Internationalis « Fédération Mondiale des Jeunesses Féminines Catholiques », quod fuit « *La Foi des Jeunes* », atque effert: inter pericula, quae hodie « fidei iuventutis » immineant, primarium quemdam, si non primum, locum tenere « *Moralem novam* ». Cuius ratio in eo posita esse dicitur, quod Ethica christiana intime iungatur cum fide ac veritate revelata, et quod mutua quaedam inter has duas habeatur relatio mutuusque influxus. Eo vero quod solvere tentent unam ab altera, eos praeparare profundam inter fidem et « Moralem » discrepantiam, quam homo per longum tempus ferre non possit sine utriusque notabili detrimento. Homo enim, si vitam moralem, qualem veritas christiana exigit, ducere recuset, et aliam ducendam vel saltem licitam esse quasi

quotidie sibi suggerat: paulatim a fide christiana viva alienatur fidesque in eo emoritur (**n. 20**).

28. De ipsa autem fide, qualis debeat esse in iuventute, duas Pontifex in fine totius Allocutionis ponit conclusiones, scil.: 1) fides sit *fides orans;* qui enim non orat, et a Deo in oratione gratiam fidei non petit, fidei christianae vivae non stabit; 2) fides sit *fides generosa,* qua homo se paratum et promptum faciat ad onera et sacrificia sibi imponenda, ut propriam vitam reddat fidei conformem; et ut propria conscientia acceptet servetque legem Dei tamquam normam, numquam derelinquendam (**n. 21-23**).

Quod ut Deus omnibus Federationis internationalis membris largiatur, tamquam pignus a Deo obtinendae benedictionis impertitur benedictio Apostolica (**n. 24**).

Ex hac utriusque Allocutionis summaria expositione atque interpretatione apparet: utrumque sermonem revera esse de eadem materia ac thesi, scil.: *de defendenda conscientia christiana* et *de defendendo eius fundamento,* quod est veritas atque Ethica catholica, prout proponitur ab Ecclesia. Defensio autem haec dirigi debet contra hanc « *Moralem novam* », quae tendit in Ethicae hucusque usitatae generalem *revisionem,* in eius *emancipationem,* in eius *translationem* in aliud fundamentum, quod non est neque Christus neque Christi Ecclesia, sed uniuscuiusque conscientia, unice ad rerum realitatem attendens, creativa, individualis atque personalis, innixa in maturi hominis adulti sinceritate et in sincera eiusdem per eum peracta conditionum vitae et « situationis » aestimatione. Communi ideo si volumus utramque Allocutionem nomine designare, eam inscribere licet: « *De conscientia christiana* atque *de Morali nova* ».

* * *

His Annotationibus per modum Appendicis — (ut petitionibus plurium satisfiat) — pauca adduntur *de pondere et momento theologico* ALLOCUTIONUM. In hunc finem tria allegantur: 1) materia de qua agunt, 2) auditores ad quos diriguntur, 3) persona a qua proferuntur.

1) Allocutiones Pontificiae, praesertim ultimis quattuordecim annis *materiam* habent argumenta maxime varia tum doctrinae tum vitae et actionis. Tractatae sunt quaestiones urgentes et urgentissimae, quae tum in turbulentis belli condicionibus tum tempore subsequenti usque in hunc diem animos et conscientias commoverunt: argumenta et quaestiones vitae publicae et privatae, relationes internationales et nationales, ius et modus bella gerendi, inalienabilia hominis iura personalia illaesa servanda, limites auctoritatis publicae, argumenta et problemata ordinis socialis, quaestiones de operariis et de heris, quaestiones de familia, de eius iuribus et officiis; quaestiones et normae vitae matrimonialis; quaestiones status clericalis et religiosi; quaestiones et argumenta quae uniuscuiusque vitam personalem et conscientiam spectant. Summaria haec enumeratio ostendit: materiam Allocutionum constitui rebus fidei et morum necnon veritatibus naturalibus quatenus hae cum fide et moribus nectuntur; aliis verbis: Allocutiones materiam habent obiecta quae indubie spectant *ad competentiam Ecclesiae* et Romani Pontificis.

2) Quod *auditores* spectat ad quos Allocutiones diriguntur: in NUNTIIS RADIOPHONICIS auditores saepe sunt totius Orbis fideles, aliquoties determinata aliqua Natio, vel determinati Congressus et Conventus sive nationales sive internationales. In Allocutionibus per undas aetherias non-diffusas auditores constituuntur coetibus fidelium immediate Summo Pontifici adstantibus, sive nulla specifica nota distinctis, sive pertinentibus ad

determinatam Nationem, ad determinatam « professionem », ad determinandum statum (civilem, socialem, ecclesiasticum), ad determinatam associationem, aetatem, scientiam, artem, etc. etc.. — Nihilominus hae Allocutiones, quae « auditorium immediatum » habent arctioribus limitibus circumscriptum, eatenus totam Ecclesiam respiciunt ad eamque diriguntur, quatenus ex mandato Summi Pontificis postea in Commentario Officiali « Acta Apostolicae Sedis » publicantur et ita cum tota Ecclesia communicantur eique notificantur tamquam verba Summi Pontificis. Hoc ergo circumscripto sensu et via Allocutiones particulares redduntur *Allocutiones generales,* quae omnibus esse possunt normae iudicandi et agendi ad mentem et voluntatem Romani Pontifiicis.

3) Quod tandem *personam loquentem,* Romanum Pontificem, spectat: ipse potest, si vult, personam privatam et theologum privatum agere; at admitti non potest: hanc eius esse voluntatem, cum in Nuntiis radiophonicis et in Allocutionibus publicis data opera de rebus fidei et morum agit. His occasionibus — (sive verba sua immediate ad totum Orbem dirigit sive immediate ad solos Ei adstantes) —, loqui vult tamquam Supremus Magister et Supremus Pastor, cui ipse Christus totum suum gregem, pascendum, docendum ac regendum commisit; totum non solum, ut talem, sed etiam omnes eius partes singulaque quoque eius membra, singillatim sumpta. Vi enim huius supremae potestatis Romanus Pontifex in omnes suorum sermonum auditores christianos, sive hi singillatim sumuntur sive uniti in « unum », — (uti in unam Ecclesiam catholicam, in uniones alias minores: dioeceses, Vicariatus Ap., paroecias, familias religiosas, Instituta saecularia, pias uniones, confraternitates, etc. etc.) —, auctoritatem et iurisdictionem habet vere episcopalem, ordinariam, directam et immediatam, quae a nullius alterius Ordinarii approbatione vel ratihabitione dependet. Aliis verbis: quoties Romanus Pon-

tifex in allegatis suis sermonibus publicis de rebus fidei et morum ad christianos verba facit, semper loquitur ad *suos subditos, iure divino sibi subiectos,* ad eosque loquitur *auctoritative.*

At, quamvis ergo Romanus Pontifex semper polleat plenitudine potestatis, et quamvis sua potestate utatur in publicis suis Allocutionibus et Nuntiis radiophonicis, agendo in iis data opera de rebus fidei et morum: tamen ea his occasionibus uti non vult pleno et summo gradu, prout facit in sollemnibus definitionibus dando sententiam definitivam infallibilem atque irreformabilem. Talis voluntas a Romano Pontifice deberet explicite et indubie manifestari. Si in dictis Nuntiis et Allocutionibus publicis haud raro allegantur veritates definitae, infallibiles, irreformabiles: effata Pontificia hanc qualificationem theologicam aliunde habent, non ex Allocutionibus qua talibus. De requisitis autem ad infallibilem Romani Pontificis sententiam Concilium Vaticanum haec habet:

> Romanus Pontifex, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato PETRO promissam, ea infallibilitate pollet, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide et moribus instructam esse voluit, (cf. Conc. Vat., Sess. IV, cap. 4, Dnz. n. 1839).

Prae oculis habenda est insuper norma can. 1323 § 3: « Declarata seu definita dogmatice res nulla intellegitur, nisi id manifeste constiterit ».

Praeter has autem *sollemnes* functiones Supremi Magisterii, sunt eius aliae, quae attribuuntur *Magisterio ordinario,* quaeque ipsae quoque infallibilitate ornatae esse *possunt* iuxta normam canonis 1323 § 1: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae verbo Dei scripto vel traditio continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive *ordinario et universali magisterio tam-*

quam divinitus revelata credenda proponuntur ». Et notari debet: functiones *infallibiles* Magisterii ordinarii universalis — (sicuti ipsa infallibilitas Ecclesiae) — non restringi ad veritates revelatas, fide divina credendas; eae pro obiecto habere possunt etiam veritates naturales, necessario cum veritatibus revelatis iunctae ita ut hae non essent in tuto positae, si de illis non certo constaret.

Fuerunt et sunt qui putent: ad veritates per Magisterium ordinarium universale *infallibiliter* propositas pertinere e. gr. notam illam Pii XI condemnationem Onanismi coniugalis, quamvis haec condemnatio non exhibeat « definitionem ex cathedra », prout opinatus est Vermeersch. His enim auctoribus sollemnia verba Pontificis nullum prudens dubium relinquere videntur: velle Pontificem enuntiare et urgere, atque de facto enuntiare et urgere *doctrinam de re morali ab universa Ecclesia constanter ut veram et tenendam propositam.* Respectiva verba Pontificis sunt haec:

« Cum igitur quidam, a christiana doctrina iam inde ab initio tradita neque unquam intermissa manifesto recedentes, aliam nuper de hoc agendi modo doctrinam sollemniter praedicandam censuerint, Ecclesia Catholica, cui ipse Deus morum integritatem honestatemque docendam et defendendam commisit, in media hac morum ruina posita, ut nuptialis foederis castimoniam a turpi hac labe immunem servet, in signum legationis suae divinae, altam per os Nostrum eextollit vocem atque denuo promulgat: quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari » (AAS., 22 (1930 p. 560).

Quid de hac nonnullorum opinione sentiendum sit, non est huius loci examinare; sufficiat attulisse exemplum.

Nuntii radiophonici et Allocutiones publicae neque his Magisterii ordinarii *functionibus infallibilibus* adnumerari debent; nisi in aliquo casu particulari fuerint verificata et probata omnia ea, quae ad infallibilem functionem Magisterii ordinarii requiruntur.

Restant ergo *manifestationes et functiones Magisterii ordinarii, non insignitae nota infallibilitatis,* ad quas inprimis spectant Romanorum Pontificum Litterae Encyclicae. De harum autem pondere et valore theologico quaedam explicite proponuntur in Litt. Enc. « Humani genes » d. d. 12 Aug. 1950 (A.A.S., 42 (1950), pag. 561-594). Verba quae ad rem faciunt sunt haec:

« Neque putandum est, ea quae in Encyclicis Litteris proponuntur, assensum per se non postulare cum in iis Pontifices supremam sui Magisterii potestatem non exerceant. Magisterio enim ordinario haec docentur, de quo illud etiam valet: « Qui vos audit, me audit »; ac plerumque quae in Encyclicis Litteris proponuntur et inculcantur, iam aliunde ad doctrinam catholicam pertinent. Quodsi si Summi Pontifices in actis suis de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem eorundem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse » (l. c., p. 568).

Etsi *non omnes* Nuntii radiophonici et Allocutiones publicae *in omnibus* in una linea poni possunt cum Litteris Encyclicis, attamen regulariter cum iis quoad substantiam conveniunt in hoc quod sint: Supremi Magistri et Pastoris manifestationes, qui, utens et fungens Ordinario magisterio suo, data opera, in rebus fidei et morum, Christianos, utpote sibi subditos, docet et regit; et cui fideles eam praestare debent subiectionem internam et externam, quae secundum doctrinam catholicam Magisterio ordinario eiusque ordinario exercitio praestanda est. Sunt ergo hac Allocutiones: « *admittendae* », et in iis quae data opera proponunt habendae ut « *verae* », quamvis non assensu absoluto et irreformabili, quippe quae non proponuntur cum suprema auctoritate supremo gradu adhibita ideoque non cum certitudine infallibili.

Et his desiderio eorum sufficienter satisfactum esse videtur, qui petierunt scientificam normam et regulam de *pondere et valore theologico* Allocutionum publicarum Romanorum Pontificum.

F. X. Hürth, S. I.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

INQUISITIO CRITICA IN MORALITATEM "AMPLEXUS RESERVATI„

Die 30 Iunii 1952 S. Officium edidit « Monitum » huius tenoris [1].

« Gravi cum sollicitudine » Apostolica Sedes animadvertit non paucos scriptores his ultimis temporibus, de vita coniugali agentes, passim palam et minute ad singula eam spectantia inverecunde descendere: praeterea nonnullos actum quendam, *amplexum reservatum* nuncupatum, describere, laudare et suadere.

Ne in re tanti momenti, quae matrimonii sanctitatem et animarum salutem respicit, munere suo deficiat, Suprema Sacra Congregatio S. Officii, de expresso mandato SS.mi D. N. D. Pii, divina Providentia Pp. XII, omnes praedictos auctores graviter monet, ut ab huiusmodi agendi ratione desistant. Sacros quoque Pastores enixe hortatur ut in his rebus sedulo advigilent et quae opportuna sint remedia sollicite apponant.

Sacerdotes autem, in cura animarum et in conscientiis dirigendis, numquam, sive sponte sive interrogati, ita loqui praesumant quasi ex parte legis christianae contra « amplexum reservatum » nihil esset obiiciendum.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 30 junii 1952.

Marinus Marani, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*

---

[1] *A. A. S.* XXXIV (1 Aug. 1952) p. 346.

1. Primum alinea Moniti est de recentiorum temporum *publicationibus*, activitatem sexualem inter coniuges exercitam pertractantibus. De his elucubrationibus primo in genere monet: eas « passim palam et minute ad singula hanc activitatem spectantia inverecunde descendere ». In particulari dein determinatum activitatis sexualis actum designat, « *amplexum reservatum* », quem dictarum publicationum auctores dicto modo describere, laudare et suadere non vereantur. Notum est praesertim in Gallia plura huiusmodi scripta edita, exinde in haud paucas alias regiones esse transmissas ibique sparsas.

2. Secundum Moniti alinea severe (de expresso mandato Summi Pontificis) omnes hos auctores monet, ut ab huiusmodi agendi ratione desistant. Rationes ob quas his auctoribus eorumque fautoribus haec materia usque ad minutissima particularia visa sit describenda, ab iis assignantur hae: 1) agitur de rebus coniugibus licitis; hine illicitum esse non potest de iis ex iusta et gravi causa agere, praesertim in scriptis solummodo coniugibus et sponsis matrimonium iamiam inituris destinatis; 2) inter hos autem permulti sunt, qui gravi circa « technicam amoris » ignorantia laborant, unde privantur bonis et gaudiis, quae auctor naturae iis concessit, immo sibi invicem obstacula mutuae consonantiae non solum in usu matrimonialis iuris, sed etiam in totius vitae harmonia creant et in dies crescentem animorum alienationem subeunt; 3) non pauci ex dicta ignorantia (saltem practica) in anxietates conscientiae coniiciuntur, natura duce quaedam agentes, de quibus dein infundatos morsus conscientiae experiantur. Verecundia insuper (maxime sponsae et uxores) impediuntur, quominus sua dubia aliis manifestent ab iisque dubiorum solutionem petant; inde necessitas conscribendi libellos, quibus omnia scitu digna exhibentur; 4) si libri huiusmodi, conscripti a catholicis non habentur, scripta acatholicorum adeuntur, haud raro cum detrimento recti iudicii et cum periculo disconve-

nientis actionis. — At hae rationes non valent iustificare tales publicationes, et ab ipso Summo Pontifice in variis Allocutionibus sunt reiectae; (cf. Allocutionem d. d. 29 Oct. 1951, AAS, 43 [1951] pag. 853; Periodica, 40 [1951] pag. 393). Paucis mensibus ante iam in Allocutione d. d. 18 Sept. 1951 (AAS, 43 [1951] p. 730-734), habita ad patresfamilias e Gallia Romam peregrinantes, Summus Pontifex contra ubique grassantem litteraturam sexualem locutus erat. Principalis textus qui ad rem facit, est hic:

« Nous voulons parler ici d'écrits, livres et articles, touchant l'initiation sexuelle, qui souvent obtiennent aujourd'hui d'énormes succès de librairie et inondent le monde entier, envahissant l'enfance, submergeant la génération montante, troublant les fiancés et les jeunes epoux.

Avec tout le sérieux, l'attention, la dignité que le sujet comporte, l'Eglise a traité la question d'une instruction en cette matière, telle que la conseillent ou la reclament tant le développement physique et psychique normal de l'adolescent, que les cas particuliers dans les diverses conditions individuelles. L'Eglise peut se rendre cette justice que, dans le plus profond respect pour la sainteté du mariage, elle a, en théorie et en pratique, laissé les epoux libres en ce qu'autorise, sans offense du Créateur, l'impulsion d'une nature saine et honnête.

On reste atterré en face de l'intolérable effronterie d'une telle littérature: alors que, devant le secret de l'intimité conjugale, le paganisme lui-même semblait s'arrêter avec respect, il faut en voir violer le mystère et en donner la vision — sensuelle et vecue — en pâture au grand public, à la jeunesse même. Vraiment, c'est à se demander si la frontière est encore suffisamment marquée entre cette initiation, soidisant catholique, et la presse ou l'illustration érotique et obscène, qui, de propos délibéré, vise la corruption ou exploite honteusement, par vilintérêt, les plus bas instincts de la nature déchue.

Ce n'est pas tout. Cette propagande menace encore le peuple catholique d'un double fléau, pour n'employer une expression plus forte. En premier lieu, elle exagère outre mesure l'importance et la portée, dans la vie, de l'élément sexuel. Accordons que ces auteurs, du point de vue purement théorique, maintiennent encore les limites de la morale catholique; il n'en est pas moins vrai que

leur façon d'exposer la vie sexuelle est de nature à lui donner, dans l'esprit du lecteur moyen et dans son jugement pratique, le sens et la valeur d'une fin en soi. Elle fait perdre de vue la vraie fin primordiale du mariage, qui est la procréation et l'éducation de l'enfant, et le grave devoir des epoux vis-à-vis de cette fin, que les écrits dont Nous parlons laissent par trop dans l'ombre.

En second lieu, cette littérature, pour l'appeler ainsi, ne semble tenir aucun compte de l'expérience générale, d'hier, d'aujourd'hui et de toujours, parce que fondée sur la nature, qui atteste que, dans l'éducation morale, ni l'initiation, ni l'instruction, ne présente de soi aucun avantage, qu'elle est, au contraire, gravement malsaine et préjudiciable, si elle n'est fortement liée à une constante discipline, à une vigoureuse maitrise de soi-même, à l'usage, surtout, des forces surnaturelles de la prière et des sacrements. ... De cela, dans ces écrits, à peine souffle-t-on un mot, si encore on ne le passe tout à fait sous silence. ... Pie XI, dit-on, écrivait il y a vingt ans, pour son époque. Depuis, on a fait du chemin » (l. c., p. 732-734).

Huic monitioni, ad ipsos scriptores directa, MONITUM aliam adicit monitionem, destinatam « Pastoribus Sacris » quo nomine inprimis veniunt ipsi Ordinarii. His inculcatur sedula vigilantia et appositio remediorum sollicita. Particularia non adduntur, cum multum dependeant a condicionibus specialibus personarum et locorum. Cum libri et articuli qui de rebus sexualibus agunt plerumque campum ethicum non solum tangant, sed plene intrent, omnes hi libri, etiam si a laicis fuerint conscripti vel editi, subsunt praeviae censurae Auctoritatis Ecclesiasticae neque publicari possunt sine Ordinariorum licentia. Si eduntur, neglecta hac praevia censura et licentia, ipso iure sunt *prohibiti*. Est ergo Ordinariis ex iure aliquod remedium sat efficax impediendi publicationes res sexuales indebite et inverecunde tractantes. — Notum est: Supremam S. C. S. Officii plures ultimis annis huiusmodi publicationes iussisse « *e commercio retrahi* ».

* * *

3. Ultimum alinea MONITI est exclusive de « *amplexu reservato* », qui iam in initio fuit breviter allegatus. Hic

amplexus consistit in naturali unione corporum, iam ab initio facta a coniugibus cum intentione cohibendi seminationem necnon in utroque agente plenam commotionem venereaam (« orgasmum »). Ex hac descriptione patet: amplexum reservatum essentialiter differre ab Onanismo coniugali, in quo actus « *completur* » et simul de industria humana privatur naturali sua novae vitae procreandae vi. In amplexu reservato autem actus naturalis de industria humana « *non-completur* »; et ex hac deliberata « *non-completione* » habet, quod novam vitam procreare nequeat. Ex altera parte *amplexus reservatus* dici debet differre a simplici « *tactu venereo* »; nam « *concubitus* », etsi imperfectus, secundum structuram suam et secundum obvium iudicium non subsumitur sub conceptu et voce meri « *tactus* ». Si secundum sua physiologica elementa constitutiva consideratur, est naturalis unio corporum et qualificatus quidam *actus venereus incompletus*. Si consideratur in sua relatione ad naturalem actum *completum* seu ad naturalem copulam, immediate patet: omnem naturalem actum completum inter coniuges habere in ordine biologico et physiologico « primordium » et « *naturalem terminum a quo* », hunc naturalem actum imperfectum naturalis unionis corporum, sine quo esse et exerceri nequit; non autem viceversa: naturalem unionem corporum in campo biologico et physiologico perfecte esse et peragi non posse sine sui completione in subsequente actu perfecto cum seminatione et orgasmo. Biologice et physiologice naturalis unio corporum (idest: hic qualificatus actus venereus imperfectus) esse et exerceri potest, non protractus ad illam sui completionem. Si autem ad eam protrahitur, coalescit cum hac completione in *unam* et integram activitatem naturalem, cuius pars organica evadit et quae dicitur « copula naturalis ». Non perductus ad completionem, naturalis unio corporum manet quod in se est: actus venereus imperfectus, per se stans. Sed

etiam sic retinet: naturalem aptitudinem, destinationem, tendentiam ad illam sui completionem. Et haec naturalis « tendentia, destinatio, aptitudo » semper servantur *sensu obiectivo* (seu prout huic actioni insunt ex eius interna natura, quacum realiter coincidunt); non necessario servantur *sensu subiecto* (seu prout ab agentibus subiective intenduntur et appetuntur). Quod pluries in ordine morali occurrit, salvis manentibus substantia actus et ordine recto.

4. Ex dictis, idest ex fundamento *separabilitatis* physicae (biologicae et physiologicae) et secundum quid psychicae, sponte resultat quaestio moralis: « Num hi duo actus (imperfectus unionis corporum — perfectus copulae cum seminatione et orgasmo) etiam effective ab invicem separari possint *sine offensa ordinis moralis*, idque in eo quoque casu — (qui est casus « amplexus reservati ») —, in quo coniuges ab initio habent intentionem non protrahendi corporum unionem usque ad naturalem eius completionem ». — *Est haec est quaestio de liceitate moralis « amplexus reservati »*.

5. Ad hanc quaestionem Monitum respondet: nefas esse, asserere, « ex parte legis christianae contra « amplexum reservatum » nihil esse obiiciendum; ideoque interdicit sacerdotibus, quoniam in cura animarum et in conscientiis dirigendis, sive sponte sive interrogati, ita loqui praesumant. Quod vetitum, indistincte pronuntiatum, respicit tum doctrinam, tum (idque maxime) pastoralem curam coniugum qui hunc agendi modum exercent vel exercituri sunt. De hoc sensu reprobativo Moniti dubium esse non potest; nihilominus examinandum restat, quid accurate verba « *ex parte legis christianae contra amplexum reservatum aliquid esse obiiciendum* » in se et ex mente S. Officii significent. Certo saltem significant: dictum amplexum non posse sine omni distinctione et restrictione dici *licitum*. Ex altera parte haec verba, prout sonant, non necessario significant: hunc amplexum,

ex intrinseca sua natura Ethicae christianae esse contrarium ideoque semper *illicitum.*

6. In genere notari debet hoc. Contra determinatum quendam actum potest aliquid (et forte satis multum) ex parte legis christianae esse obiciendum, non propter actum, *in se sumptum,* sed propter immorales *circumstantias,* actui passim et quasi ex natura rei adnexas, quae circumstantiae se habere possunt sive ex parte obiceti sive ex parte subiecti. In tali casu contra talem actum ob has immorales circumstantias est aliquid ex parte legis christianae obiciendum. Restat tamen quaerendum, utrum hae circumstantiae sint ab hoc actu inseparabiles, an evitari vel removeri possint. In hac altera suppositione generatim quidem, sed non necessario et semper christiana lex exercitio huius actus obstat. — Severius iudicandum est, si determinatus quidam actus *ex natura sua* et *mere in se sumptus,* legi christianae est contrarius. Quod si ita est, hic actus semper reprobandus et illicitus dicendus est. Ad quam illiceitatem intrinsecam accedere dein potest etiam dicta illiceitas ex parte circumstantiarum, ita ut actus ex utroque capite reprobari debeat. Si haec deviatio ab ordine recto versatur circa *materiam gravem,* (idest: si essentialem relationem ordinis recti substantialiter corrumpit), talis actus constituit *peccatum mortale.*

7. Hae considerationes generales applicandae sunt ad amplexum reservatum. Et primum quidem ob *circumstantias* tum ex parte obiecti tum ex parte subiecti contra hunc agendi modum urgeri possunt et debent variae et graves observationes. Ex parte enim *obiecti* in amplexu reservato latet naturale et sat magnum periculum orgasmi seu commotionis venereae completae oriturae in alterutro vel etiam in utroque coniuge. At neque coniugibus licitum est temerarie causare proximum pollutionis periculum. Neque obiicere licet: talem effectum esse *effectum per accidens,* non intentum. Nam amplexus re-

servatus ex natura sua aptus et efficax est ad hunc effectum producendum, et ideo si accidit, saltem est « voluntarius in causa ». — Quod dein circumstantias ex parte *subiecti* spectat, coniuges ad ita agendum impelli possunt (et haud raro impelluntur) infreni et exaggerata delectandi cupidine, si scl. habent quasi unicum agendi obiectum et motivum « delectationem », quasi haec esset ex voluntate naturae et Creatoris *plena sui ipsius ratio*, non autem invitamentum et incitamentum ad finem multo altiorem et nobiliorem. Quotiescumque praxi amplexus reservati talis indomita libido subest, contra eam haud parum ex parte Ethicae monendum et obiciendum est. Pius XII contra hunc « antichristianum hedonismum » in Allocutione d. d. 29 Oct. 1951 severissimis verbis invectus est: « La gravità e la santità della legge morale cristiana non amettono una sfrenata soddisfazione dell'istinto sessuale e di tendere così soltanto al piacere e al godimento, essa non permette all'uomo ragionevole di lasciarsi dominare sino a tal punto, nè quanto alla sostanza, nè quanto alle circostanze dell'atto » (AAS., 43 [1951] 853; Periodica, 40 [1951] p. 390-393, nn. 62-67). — Accedit haud raro alia non recta animi dispositio in coniugibus, scl. exclusio prolis, sive ex eius vilipensione, sive ex eam evitandi desiderio, nulla seria ratione innixo, quo inducti coniuges sistunt in amplexu reservato, subtrahentes se status matrimonialis muneri et officio, urgenti in coniugibus, habitualiter utentibus iure suo in corpus compartis, de quo Pius XII in eadem Allocutione d. d. 29 Oct. 1951 fuse egit, agnoscens iustas sese huic officio subtrahendi rationes, reprobans et reiciens causas futiles et inanes (AAS., l. c. pag. 845-846; Periodica, l. c. pag. 366-372, nn. 29-36).

8. Ex circumstantiis ergo (sive obiecti, sive subiecti) contra amplexum reservatum haberi possunt et haud raro habentur iustae et graves rationes, quae contra eam ex parte legis christianae pugnent. Num autem hae circum-

stantiae in casu particulari adsint et urgeant, est *quaestio facti*, de qua sententia definitiva a priori ferri non potest. Si in casu particulari certo constat: dictas circumstantias non adesse, amplexus reservatus non potest dici propter has *circumstantias* prohibitioni legis christianae subesse. Et attestantur serii et timoratae conscientiae coniuges: se ita agentes saepe non subire (in neutro coniuge) periculum proximum orgasmi, (neque in ipso actu neque postea, vi actus positi); se non duci sexuali cupidine, dominio rectae rationis subducta; se ob graves et omnino iustas rationes (agnitas a Summo Pontifice in supra allegata Allocutione) evitare velle prolem ideoque se in hoc actu exercendo sistere.

* * *

9. At his omnibus datis, (etsi forte nondum concessis) non immediate concludi quit: coniuges licite ita agere. Nam hic actus, quamvis in concretis condicionibus malus dici nequeat ob *circumstantias*, malus tamen esse potest *in se ipso* seu *ex natura actus*. Quod si ita est, numquam licite exercetur.

10. Et revera fuerunt et sunt qui censent: amplexum reservatum, iam in se seu ex natura sua offendere contra rectum ordinem, ideoque esse vel leviter vel graviter illicitum. Variae sunt argumentandi viae, sed in fine finali omnes redeunt ad eandem rationem fundamentalem: Usus venereorum tunc tantum est sine peccato, si fit debito modo et ordine: seu secundum quod est aptus et inserviens fini generationis. Amplexus autem reservatus ex natura sua nullo modo est aptus et inserviens fini generationis, ergo ex natura sua est contra rectum ordinem et moraliter malus. — Alii ad eandem conclusionem veniunt hac via: Actus venerei coniugibus non sunt liciti, nisi in quantum inserviunt vel ad bonum prolis vel ad bonum fidei. Amplexus reservatus non inservit neque ad

unum neque ad alterum bonum. Ergo est illicitus. — Alii argumentantur ex defectu iuris, statuentes: Coniuges nequeunt licite exercere actus venereos, nisi ad quos ex contractu matrimoniali ius acquisierunt. Jam vero ex hoc contractu acquirunt tantummodo ius ad actus per se aptos ad prolis generationem, idest ad naturalem copulam cum seminatione (cf. can. 1081 § 2; can. 1015 § 1). Atqui amplexus reservatus, utpote copula inchoata cum voluntate non perveniendi ad seminationem, non est actus per se aptus ad generationem. Ergo coniuges ad ita agendum ex contractu matrimoniali non habent ius; ideoque, si nihilominus ita agunt, (cum agatur de re gravi), graviter peccant. — Vel ita: Secundum St. Thomam vitium contra naturam est in omni actu venereo, ex quo generatio sequi non potest (cf. II-II, q. 154, 1). Atqui ex copula reservata, facta cum intentione cohibendi seminationem, generatio prolis sequi non potest. Ergo secundum St. Thomam est grave peccatum, ad vitium contra naturam reductive pertinens. — Argumentum quoddam etiam hoc modo faciendum attentatur: Amplexus reservatus est ex natura sua inchoatio actus cosummati. Atque huiusmodi inchoatio licite intendi nequit, nisi intento fine et termino, in quem haec inchoatio ordinatur, idest in actum consummatum (seu copulam cum seminatione). (Illustratur probatio argumento a pari: in peragenda operatione chirurgica saepe graves incisiones praeviae peraguntur, quae licitae non sunt, nisi in quantum sunt inchoatio operationis principalis, e. gr exstirpationis gravis ulceris vel tumoris, propter quam tota operatio chirurgica fit). Iam vero inchoatio copulae perfectae (seu amplexus reservatus) fit praecise cum exclusione actus consummati, cuius est inchoatio. Ergo fit *cum* intentione et *ex* intentione fini naturali contraria, ideoque necessario est moraliter malus. Ut dilucident argumentationem, addunt: amplexus reservatus seu inchoatio copulae, si consideratur secundum suum Esse physiologicum in se,

est ordinata in bonum finem, in bonum prolis; si consideratur, in quantum subest intentioni agentis: si per hanc intentionem ordinatur in eundem finem naturalem, est bona; si non ordinatur in hunc finem, imo, si per hanc intentionem explicite ab eo avertitur, est mala. Jamvero in amplexu reservato avertitur, ergo hic actus est intrinsece malus neque umquam licitus. — Et plures aliae argumentationes et rationes addi possunt, quae omnes tendunt in eandem thesim probandam: « *Exercere amplexum reservatum, idest inchoare copulam cum intentione cohibendi seminationem, licet sine periculo pollutionis, est illicitum et quidem sub gravi* ».

11. Fuse de tota quaestione agit Hyacinthus M. Hering O. P., in articulo *De « amplexu reservato »* (Angelicum, 28 (1951) pg. 313-345; in specie de eius intrinseca malitia pg. 331 sqq.

12. Sed ex altera parte fuerunt et sunt, quibus non constat de *intrinseca deordinatione* amplexus reservati neque de vi argumentorum, quae pro ea asserenda afferuntur. Hi auctores non negant generalia principia, a defensoribus sententiae contrariae allata, sed dissentiunt quoad horum principiorum sive interpretationem sive applicationem ad amplexum reservatum; censent: in his rectis principiis applicandis non semel tamquam probatum supponi, quod proprie in quaestione sit et prius probari debeat. — Omnes consentiunt: nullum esse venereorum usum licitum (nec perfectum nec imperfectum), qui non servet debitam sub fine generationis subordinationem; sed debitam talem, qualem singulis actibus ipsa natura inesse voluit et indidit. Huius intrinsecae subordinationis et finalitatis dilucida habetur expositio in saepius iam allegata Pii XII Allocutione d. d. 29 Oct. 1951; (AAS, 43 (1951) pg. 848-850). Haec autem obiectiva naturalis destinatio et subordinatio alia est in naturali usu perfecto et completo; alia in naturali imperfecto et incompleto. In actu venereo completo et perfecto debet esse (et qui-

dem ex institutione naturae) *perfecta,* idest constitutiva, exsecutiva, effectiva; in usu venereorum imperfecto et incompleto (ex institutione naturae) non debet esse nisi *incompleta,* inchoativa, dispositiva, sive proxime sive remote.

Hinc usus completus non servat debitam subordinationem nisi ipse exhibeat ex parte activitatis coniugum omnia, quae *ex hac parte* ad novam vitam, naturali via procreandam, requiruntur et sufficiunt. Ad hoc autem praeter alia necessario requiritur, ut perfecta actuatio procurata unius partis accipiat naturali modo naturale complementum activitatis alterius partis. Nam nullus solitarius usus completus, quocumque modo peractus, est dicto modo aptus et sufficiens ad finem generationis. Hoc valet aequaliter in viro et in muliere; nam in utroque sexu ex natura actus completi completa eius sub fine generationis requiritur subordinatio et in eum ordinatio. Neque quidquam valet instantia contraria, exponens: mulieris commotionem completam et quasi-seminationem non esse elementum indispensabile ad novae vitae originem ex copula obtinendam. Non agitur de *effectu* obtinendo, sed de *recto ordine* servando, qui est in usus completi naturali structura servata, ad quam indispensabiliter compartis conactio naturalis exigitur. Et quia in unoquoque usu completo (numerice distincto ab alio usu completo) haec necessitas naturalis realizari debet — (ut scl. sit « recte ordinatus ») —, unusquisque usus venereorum completus in muliere accipere debet numerice distinctum naturale complementum viri. Secus in muliere de industria humana eius actus manet essentialiter mancus, quia de industria humana privatur naturali complemento, quo solo, (proprie quia est usus *completus*), accipit intrinsecam in finem generationis requisitam aptitudinem et sub eo subordinationem. Hinc si in numero una corporum unione sunt numero plures commotiones completae in muliere, numero autem unus tantum ex

parte viri usus completus: *sola una* mulieris completa commotio — (ea scl. quae est simultanea cum orgasmo viri) — est actus completus naturalis; aliae commotiones perfectae sunt innaturales pollutiones, cooperante viro procuratae. Dicunt quidem: in tali casu unamquamque commotionem completam mulieris retinere naturalem destinationem et aptitudinem ad *amorem coniugalem* in mutua cum marito operatione exercendam; verificari ergo plene secundarium matrimonii et operis matrimonialis finem. At in usu completo indispensabiliter satisfieri debet fini primario generationis; quo facto, sermo esse potest de satisfaciendo finibus secundariis, utpote essentialiter dependentibus a fine primario. Haec autem essentialis in finem generationis ordinatio et ab eo essentialis dependentia proprie verificatur *ipso facto,* quod *usus completus* intendatur et peragatur, servata eius naturali structura, (quae inter alia essentialiter connotat et exigit viri naturale complementum); verificatur etiam in casu in quo effectiva generatio ex completo actu posito non obtinetur, immo ne potest quidem obtineri.

Haec fuse exponenda visa sunt, ut respondeatur ad DUBIUM, quod recenter in quodam articulo iterum discutiendum proponitur: an scl. mulieri in « amplexu reservata » exercendo liceat, semel et pluries plenam sui ipsius commotionem admittere vel, marito cooperante, causare, licet vir (cum consensu mulieris) omnem sui ipsius orgasmum cohibeat. Auctor articuli inclinare videtur in responsum affirmativum, (et quidem ob « amorem coniugalem » in huiusmodi usu completo venereorum mulieris exercitum). Sed ex supra dictis apparet: responsum non posse esse nisi *negativum ex toto;* (cf. Ch. P. *Tiberghien,* A propos d'un texte d'Hugguccio. — Mélanges de science religieuse, IX [1952] 85-92). Quando ergo in « amplexu reservato » occurrit usus venereorum completus ex parte mulieris, inter defensores primae et secundae sententiae de intrinseca amplexus reservati moralitate non videtur

esse notabilis discrepantia. Aliter autem se habent auctores in dijudicando hoc amplexu, si etiam mulieris omnis orgasmus excluditur.

13. Hic amplexus (ratione sui) ex parte utriusque coniugis est usus venereorum incompletus. Et in quantum dicit solummodo naturalem unionem corporum, est usus incompletus *naturalis*. At, prout supra iam notatum est, *omnis* venereorum usus (tam completus quam incompletus), ut sit recto ordini conformis, servare debet debitam sub fine generationis subordinationem et ad eum aptitudinem. Defensores primae sententiae negant in amplexu reservato hanc debitam ad finem generationis relationem servari; defensores secundae sententiae eam servari affirmant. Argumenta primae sententiae iam exposita sunt; fautores secundae sic fere argumentantur.

14. Finis, cui etiam incompleti actus subordinari debent, idem est atque finis usus completi; sed modus et gradus subordinationis est alius. Actus incompleti (ut supra iam notatum est) non sunt constitutive, exsecutive et effective apti ad originem novae vitae, ex activitate coniugum promovendam et obtinendam; sed ad hunc finem ex sese sunt tantum apti et destinati *dispositive, praeparative, inchoative*. Desunt enim in his actibus (*ex eorum structura naturali*) nonnulla elementa, sine quibus activitas coniugum est simpliciter insufficiens ad procreandam novam vitam, (in quantum haec ab ipsa activitate coniugum dependet). Unde deducitur: actus venereos imperfectos secundum rectum ordinem poni, si ponuntur servata hac *sua* naturali in finem generationis aptitudine et destinatione; exerceri contra rectum ordinem, si per industriam humanam ea privantur. Haec ad finem generationis dispositio obiective et subiective servatur eo, quod usus imperfectus secundum suam naturalem structuram appetitur et ponitur; identificatur enim cum ipso Esse naturali usus imperfecti. Usus autem venereorum imperfectus fini generationis « dispositive » inser-

vire potest immediate et proxime in actuali praeparatione actus coniugalis hic et nunc peragendi; mediate et remote, quatenus *ex naturali sua indole conservat, evolvit, auget habitualem, rectum et licitum, inter coniuges affectum sexualem,* qui natura sua impellit ad actum generativum, etsi hic et nunc nulla est actualis et explicita intentio eum ponendi, imo forte intentio contraria. Vis argumentationis ex mente horum auctorum non in eo est, quod omnis usus incompletus venereorum, eo ipso quod augeat inter coniuges affectum sexualem, sit rectus et licitus, — (tunc etiam actus venerei ex foeditate sua maxime contra dignitatem humanam pugnantes, actus internae libidinis, actus imperfecti sodomitici, etc. dici deberent recti et liciti) —, sed in eo, quod *aliqui* usus imperfecti, qui quoad structuram suam naturalem, — (prout est naturalis unio corporum qua talis) —, evidenter versantur in linea naturalis activitatis sexualis, servent requisitam suam in finem generationis *dispositivam* subordinationem et destinationem per hanc liciti inter coniuges affectus sexualis conservationem et vigoris animationem, (quamvis hic et nunc non exerceantur in ordine ad actuale copulae exercitium).

15. Ex dictis intellegitur responsum horum auctorum ad rationes a defensoribus sententiae contrariae propositas. Primo censent: amplexum reservatum, suppositis supponendis, inservire posse tum bono prolis tum bono fidei; bono prolis non quidem exsecutive, sed dispositive; bono fidei, scl. conservando et promovendo dictum coniugum affectum mutuum *matrimonialem,* qui affectus contineat (non quidem primo et principaliter) sed ex voluntate naturae ac Creatoris etiam naturalem affectum *sexualem.* — Quoad instantiam, petitam ex limite iuris, per contractum matrimonialem quaesiti, monent hi auctores: ad actus per se aptos ad prolis generationem non solum pertinere actum perfectum seu coitum naturalem, sed etiam naturales actus imperfectos, naturali sua in-

dole ad eum perducentes et praeparantes, sive immediate et proxime, sive mediate et remote. — « Vitium contra naturam » censent esse exclusum, quia vis et indoles dispositiva ad actum completum, quae normali unioni corporum ex structura naturali inest retinet eum in linea activitatis *secundum* (non contra) naturam. — Thesim *amplexum reservatum non posse esse nisi inchoationem copulae* perfectae, hi auctores negant, quia gratis supponat tamquam probatum, quod proprie probandum exstat. Neque « argumentum a pari », petitum ex incisionibus praeparatoriis in operatione chirurgica faciendis, admittunt; quia in hoc argumento proprie quoad elementum decisivum desit paritas, (praecindunt a valore sat dubio argumenti, quo liceitas illarum incisionum probetur; videtur eis: quoad operationes chirurgicas argumentum aliter debere componi). — Nullatenus admittitur assertio: in peragentibus amplexum reservatum inesse ex natura actus voluntatem et intentionem naturali fini generationis contrariam. Supponere defensores alterius sententiae, et quidem sine sufficienti argumento: amplexum reservatum fini generationis debere inservire immediate et *exsecutive*, et non posse sufficere praestitum fini generationis servitium *dispositivum*. Quae hac occasione a defensoribus primae sententiae statuuntur *de intentione finis* et de huius intentionis *influxu in moralitatem actus*, fautoribus sententiae oppositae videntur ex parte omnino vera et recta, sed minus recte applicata; ex parte autem haec indigere distinctione et ulteriore praecisione.

16. Qui secundae sententiae favent, aliquas dein adducunt suae opinionis confirmationes.

Si ad naturalem unionem corporum inchoandam ex rei natura requireretur, intentio protrahendi actum usque ad suum terminum totalem, (nisi ab extra causa iusta et gravis occurrerit eum abrumpendi), coniuges, coepta unione cum dicta illa intentione, si eam ex mutuo

consensu sine causa extrinseca mutant, nolentes amplius unionem ad finem perducere, et si nihilominus continuant actum coeptum: ipso facto peccarent contra naturam. — Nam eadem est ratio exigens, ut actio recta cum intentione inchoetur, atque ratio exigens, ne sine hac intentione continuetur. — Immo posset quis ulterius procedere asserendo: coniuges (non occurrente ulla proportionata causa extrinseca) non posse sine peccato mutare primaevam intentionem, sed debere actum continuare usque ad terminum naturalem. Sed haec videntur non admittenda.

17. Aliam addunt confirmationem hanc. Mulier secundum communem sententiam, suppositis supponendis, licite in Onanismo (« naturali ») viri materialiter cooperari potest. Mulier ita cooperando, libere consentit in naturalem unionem corporum, eamque libere et deliberata vult et peragit, quamvis ab initio certo sciat, eam numquam ad naturalem finem perductum iri. Ad hanc liceitatem probandam non iuvat nec sufficit provocare ad mulieris intentionem, initio actus habitam et semper retentam ex sua parte complendi actum naturali mado.

Nam haec intentio (quantumvis ex alia causa omnino necessaria sit, quia scl. mulier coperatur ad actum *completum viri*) — non mutat in ordine morali naturam ipsius actus qui est naturalis unio corporum, numquam perventura ad terminum naturalem, quam mulier tamen (per modum actus humani) vult et perficit. Si *haec* unio in his concretis circumstantiis est *in se* mala, quia *in se* nullo modo ordinata in finem generationis, non iustificatur nec iustificari potest ex sincera quidem, sed illusoria intentione primaeva mulieris, (sicuti cooperatio materialis ex parte mulieris in Onanismo condomistico non iustificatur ex seria intentione mulieris perficiendi unionem naturalem eamque conducendi ad finem naturalem). Obiectum formale actus humani, quem *mulier* ponit in illa materiali et licita cooperatione, est naturalis unio

corporum, ad finem generationis *voluntate* et indole *naturae* saltem dispositive apta et destinata, a viro (vel aliquando, positis ponendis, etiam a muliere) petita et a duobus coniugibus mutuo actu humano patrata. — Hinc aut conceditur: ex parte mulieris *hanc* unionem corporum in se deliberate volitam et ab initio praevisam numquam perductum iri ad naturalem terminum: *non esse in se moraliter malam;* aut negari debet: deliberatam mulieris cooperationem materialem ad Onanismum viri *umquam esse licitam.*

18. Addunt ultimam quandam confirmationem. Dicunt accidere aliquoties, ut coniuges in naturali corporum unione a medico effective iuvari debeant. Sed in tali casu coniuges, quod facile patet, habere intentionem non permanendi praesente medico, in corporum unione usque ad orgasmum. Habent ab initio deliberatam voluntatem sistendi hic et nunc in corporum unione qua tali. Si unio corporum, exercita cum tali voluntate restrictiva ab initio assumpta, est *in se moraliter mala* et *contra naturam,* dictus modus agendi coniugum numquam est licitus. Et hanc conclusionem hi auctores non censent rectam et iustam.

19. His utraque sententia de interna natura morali amplexus reservati, in se sumpti, necnon utriusque sententiae argumenta principalia videntur sufficienter exposita. Ex cuius sententiae parte stet veritas obiectiva, non est huius expositionis decidere, quae munus arbitri sibi arrogare nec vult nec potest.

* * *

20. Si autem in fine finali quaeritur, quid de liceitate amplexus reservati sentiri et dici debeat, responsum magis aequilibratum et fundatum, quam responsum S. Officii inveniri vix potest. Certo constat: contra amplexum reservatum ex parte legis christianae plura esse obicien-

da; ideoque hunc modum agendi non posse umquam ullo modo dici « *simpliciter licitum* ». Ex altera parte hucusque (non ex natura rei, non ex communi Moralistarum sententia, non ex MONITO S. Officii) certo probatur: amplexum reservatum *in se* esse contra rectum ordinem, ideoque numquam posse esse licitum. Hinc (saltem interim) concludendum videtur: (si in casu particulari certum est, ob peculiares condiciones ex parte circumstantiarum nil monendum esse; si insuper certum est, coniuges ita agentes duci seriis et iustis motivis): *non constare amplexum reservatum « non posse » umquam peragi sine peccato.*

Franciscus X. Hürth, S. I.

DE COMMUNIONE FIDELIUM CUM HOSTIIS IN EODEM SACRIFICIO CONSECRATIS

In memoriam vocatur postulatio Litt. Encycl. « Mediator Dei » et ad discussionem proponuntur varii conatus votum S. Pontificis in praxim deducendi.

In Litteris Encyclicis « Mediator Dei » Pium Papam XII. fel. regn. haec verba audivimus pronuntiantem: « *Quandoquidem enim, per Angelorum panis convivium, Sacrificii, ut supra diximus, 'sacramentali' etiam Communione participes fieri possumus, idcirco Ecclesia Mater, ut efficaciore ratione 'Redemptionis fructum in nobis iugiter sentiamus', filiis suis singulis universis Christi Domini invitationem iterat: 'Accipite et manducate ... Hoc facite in meam commemorationem'. Quam ad rem Tridentina Synodus, Iesu Christi eiusque intaminatae Sponsae votis veluti resonans, vehementer adhortata est 'ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior proveniret'. Quin immo Decessor Noster imm. mem. Benedictus XIV., ut satius luculentiusque patescat christifideles per Eucharistiae perceptionem divinum ipsum participare Sacrificium, eorum pietatem dilaudat, qui non caelesti modo pabulo, dum Sacrificio intersunt, enutriri cupiant, sed ipsis in eodem Sacrificio consecratis hostiis cibari praeoptent, quamvis, ut ipse declarat, vere ac reapse Sacrificium participetur, etiamsi de Eucharistico Pane agatur, cuius consecratio iam antea rite peracta fuerit. Ita enim scribit: 'Et quamvis de eodem Sacrificio participent, praeter eos, quibus a sacerdote celebrante tribuitur in ipsa Missa portio Vic-*

timae a se oblatae, ii etiam, quibus Sacerdos Eucharistiam reservari solitam ministrat; non tamen idcirco aut vetuit umquam Ecclesia, aut modo vetat, satisfieri ab ipso sacerdote pietati et iustae eorum petitioni, qui Missae adstantes, ad consortium admitti postulant eiusdem Sacrificii, quod et ipsi pariter offerunt ea ratione, quae ipsos decere potest: immo probat atque cupit, ne id omittatur, eosque sacerdotes increparet, quorum culpa et negligentia fidelibus participatio illa denegaretur'... ».

« *Valde autem opportunum est, quod ceteroquin Liturgia statuit, populum ad sacram accedere synaxim, postquam sacerdos divinam dapem ex ara libaverit; atque ut supra scripsimus, ii dilaudandi sunt, qui, Sacro adstantes, hostias in eodem Sacrificio consecratas accipiant, ita quidem ut reapse contingat 'ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione caelesti et gratia repleamur'.*

Verum tamen causae interdum non desunt, nec rarae sunt, cur Eucharisticus panis vel ante vel post Sacrificium ipsum distribuatur, et cur etiam — quamvis sacra habeatur synaxis statim ac sacerdos se caelesti epulo cibaverit — hostiis tamen id fiat iam superiore tempore consecratis. Hisce etiam in rerum adiunctis — quod ceteroquin iam supra admonuimus — populus rite Eucharisticum participat Sacrificium, ac facilius non raro potest ad Mensam vitae aeternae accedere. Quodsi tamen Ecclesia pro materna indulgentia sua, spiritualibus filiorum necessitatibus occurrere nititur, ii nihilo secius pro sua quisque parte debent, quidquid sacra Liturgia suadet, non facile spernere, ac quotiescumque probabilis non obsistat causa, ea omnia efficere, quibus vivens Mystici Corporis unitas clarius ad altare patescat »[1].

His verbis apparet summum Pontificem optare, ut ad sacram Communionem hostiae distribuantur in eodem

1 « *Mediator Dei* » *A. A. S.* XXXIX (1947) pag. 564/65.

Sacrificio consecratae nisi obstent iustae causae, [cum hoc ex negligentia praetermittentes improbet]; immo etiam quandam instructionem populi hac de re poscere videtur, qui aliter tales ' iustas petitiones ' proferre non posset. Priusquam deliberabimus, quomodo haec vota Summi Pontificis in praxim deduci possint, conspectum historicum, decreta Ecclesiae et rationes internas pro hac re fusius proponere multum iuvabit.

I. Conspectus historicus et directa Ecclesiae ad hanc rem pertinentia.

Durante media aetate fere numquam accidit, ut hostiae consecratae non eadem Missa distribuerentur. « Cum media aetate Eucharistia propter aegrotos tantum reponeretur, canones ecclesiae ad hoc pertinentes de una hostia vel altera tantum agebant. ... In relationibus eorum, qui ineunte saeculo 17° dioecesim Ermland ex auctoritate visitaverunt, cum semper etiam de hac re rationem reddiderint, legimus tunc plerumque particulas 4 vel 8 repositas fuisse in Ecclesiis. ... Consecratio complurium hostiarum et repositio, ut alias distribuerentur, per totam mediam aetatem in usu non erat, nisi feria IV vel V Maioris Hebdomadae. Vasa, in quibus reservabatur Eucharistia, propterea valde parva erant; alveolus columbae eucharisticae, quam vocant, super altare pendens longitudine erat 4 vel 6 cm. Saeculo 14° vel 15° pyxidibus erat diametrus 8-10 cm, ut hostias, quae ad Communionem mediocris paroeciae requiruntur, bene caperent. Vergente saec. 16° iam videmus ciboria, quorum dimensiones nostris quoque temporibus familiares sunt, ut hostiae in eis contentae omnibus unius paroeciae fidelibus non solum pro una Communione dominicali sufficerent, sed etiam pro altera dominicae insequentis; simulque factum est, ut etiam distributio panis Eucharistici in eadem

Missa neglegeretur »[2]. « Post Concilium Tridentinum disciplina liturgica non pariter ac studio Sacramentorum florente, sacra Communio magis magisque a celebratione Missae seiungebatur; idque non solum fiebat in festis excellentioris ritus et in Communione ita dicta generali, sed etiam in aliis casibus.

Vergente saec. 18° in omnium usu erat, ut sacra Communio extra Missam distribueretur. Nostris temporibus contra in dies augebatur numerus eorum, qui semper hostias in eodem Sacrificio consecratas fidelibus distribui velint, ut antiquissima et nativa coniunctio, qua hoc Sacrificium cum Sacro Convivio connectitur, denuo appareat »[3]. Videtur ideo antiquus sacram Communionem distribuendi usus, neglectus fuisse propter errorem et dissensiones reformatorum, quibus Ecclesia vergente media aetate opprimebatur. Ad rectam catholicam fidem circa Missarum Sollemnia, quod attinet, magis ipsum Sacrificium eiusque natura erat praedicandum quam quomodo ordinata sint ad sacram Communionem. Cum simul vera et substantialis praesentia Domini sub speciebus etiam reservatis fortiter retinenda esset, sacra Communio vulgo magis cum SSmo Sacramento in Tabernaculo reposito coniuncta censebatur, quam cum ipso Sacrificio Missae. Deinde primum factum est, ut Tabernacula in altaribus firmiter ponerentur, et mensae altaris comparatae erant magnitudine ingenti praesertim arte « Barock ». Maximi putabatur et quasi ut caput totius altaris Tabernaculum Eucharistiae et locus, quo exponi solebat Sanctissimum. Denique non sine influxu rationes mere practicae commoditatis usu distribuendi S. Communionem ex tabernaculo fuisse videntur. Hodie vero, dissensionibus remissis, cumque cautionibus contra Protestan-

---

2 Ioseph Andreas Jungmann S. I. « *Missarum Sollemnia* », Herder, Wien 1948, tom. II, pag. 496/97.

3 *ibid.* pag. 498/99.

tismum, quem vocant, non iam adeo nobis opus sit, multi exsurgunt, qui iam ante Litt. Encycl. « Mediator Dei » sacram Communionem ex eiusdem Sacrificii consecratione exoptaverint. Denuo nempe nostris temporibus s. Missa cernitur magis, inquantum ordinata est ad sacram Communionem. Tamen usus hostias eiusdem Sacrificii distribuendi numquam praetermissus erat omnino, veluti in Ecclesiis, in quibus Sanctissimum Sacramentum reservari non solebat, vel quotiescumque fideles Missam audiebant ad altaria minus principalia maiorum Ecclesiarum [4], vel ubique terrarum in missionibus exterioribus. In Italia saec. 18° hic vetus usus nondum corruerat; quod apparet ex Litteris Encyclicis Benedicti XIV « Certiores effecti » [5]. His Litteris declaratur sacerdotes Missam celebrantes « non teneri s. Eucharistiam omnibus petentibus infra ipsam actionem ministrare » [6]. Quaedam controversiae enim ortae erant ex fidelium optatione in unaquaque Missa sacram Eucharistiam percipiendi. Agebatur de Eucharistia ex eodem Sacrificio ministranda, minime ex Tabernaculo, qui usus numquam in his Litteris commemoratur [7]. Responsio Summi Pontificis erat: fideles laudandos esse, qui in ipsa Missa communicare vellent. Hoc tamen omnino non opus esse in unaquaque Missa, cum plures celebrarentur, neque una tandem, ut antea mos fuisset. Rem faciliorem reddi, cum nullae iam exsisterent obligationes sacram Communionem accipiendi a solo proprio cuiusque parocho. Nemini propterea queri licere

---

[4] v. gr. Romae in Basilica S. Petri.

[5] Litt. Encycl. Benedicti Pp. XIV « *Certiores effecti* » ad Episcopos Italiae, die 13 Nov. 1742, quae commemorantur in Litt. Encycl. « *Mediator Dei* » (Bullarium I, Mechliniae, 1826).

[6] Res magis illustrantur in LUIGI PALADINI « *La controversia della Comunione nella Messa* »; Bibliotheca « Ephemerides Liturgicae » 22/23, Romae 1948/49 (Miscellanea Liturgica 1948, pag. 347 sqq. et 1949 pag. 341 sqq.).

[7] Scrutationi relinquitur, quando hoc primo in usum venerit.

neminique iniuriam fieri, si interdum ratione vel temporis vel loci vel quarundam personarum aliquis sacerdos ab Episcopo vetaretur durante Missa ministrare sacram Eucharistiam (eamque ex eodem Sacrificio, cum alius usus his Litteris non attingatur). Omnes enim participes fieri eiusdem Sacrificii, minime exclusis illis, quibus ministratur Eucharistia in Tabernaculo reposita. His apparet veterem usum temporibus Benedicti XIV in Italia nondum corruisse, sed eum cum magna prudentia a Summo Pontifice commendatum fuisse. Iuvaret etiam videre qualem progressum haec res alibi fecerit.

Advertendum est, quod etiam Ecclesiae libri authentici semper et ubique de sacra Communione ex eodem Sacrificio praestanda agunt usque ad diem hodiernum. Quod apparet ex ritu celebrandi Missam, qui habetur in Missali Romano, ex Rituali Romano, ex Canone Missae [8].

Ad rubricas Missalis Romani notat I. Pinsk [9]: « Notatu sane dignissimum est, quod omnes hae rubricae ad S. Communionis administrationem spectantes ne mentionem quidem faciunt hostiarum in Tabernaculo repositarum. Inter omnes constare videtur, hostias fidelium in eadem Missa cum hostia sacerdotis consecrandas esse. Quod eo notabilius est, quod alias rubricae non desunt, quibus sacerdotis accessio ad altare vel recessio aliter dirigitur si sit in eo Tabernaculum SSmi Sacramenti, et aliter si ibi non asservatur [10]. Ubi vero secundum nostram consuetudinem hodiernam norma aliqua exspectaretur ut v. gr.: ' Si sint in Tabernaculo hostiae minores, removet tabulam canonis ..., aperit, genuflectit etc. ', ne verbo quidem indicatur utrum hostiae ex ciborio in Ta-

---

8 Ex ritu celebrandi Missam, qui praemittitur Missali Romano huc spectat pars II, n. 3, pars VII, n. 3, pars VIII nn. 5 et 6, pars X nn. 5, 6, 7.

9 J. Pinsk, « *Liturgisches Leben* » I, 1934, pag. 87.

10 cf. *Ritus celebrandi* pars III n. 1, pars XII n. 6.

bernaculo retento distribui possint. Sed per rubricas ita omnia circumscribuntur ac si una tantum esset s. Eucharistiam ministrandi possibilitas, scilicet ut hostiae, quae fidelibus distribuuntur in eodem quoque Sacrificio consecrentur. Ad hanc cognitionem certissime pervenit, qui diligenter examinat rubricas, quas continet ' Ritus servandus in celebratione Missae ' ».

In Rituali Romano Tit. IV, cap. 2 primo agitur de administratione s. Communionis extra Missam [11]; deinde in n. 11 de eius administratione infra actionem. Verba Ritualis Romani haec sunt: « Intra Missam autem communio populi statim post communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet (nisi quandoque ex rationabili causa proxime ante aut statim post Missam privatam sit facienda) cum Orationes quae in Missa post communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent ». Haec norma deinde in n. 12 magis in particulari explicatur iterum vero mentione hostiarum, quae in Tabernaculo forte repositae fuissent, omnino non facta. Praesupponitur enim iam a principio Missae particulas super altare positas esse. Cum vero ab Ecclesia Rituale Romanum novissime anno 1925 editum sit, eo ipso manifestum est omnes pristinas rubricas quas continet ' Ritus servandus » his denuo approbatas esse, quia ibi ritus consecrandi hostias pro populo intra Missam describitur qui a nostro hodierno Rituali supponitur. Cfr. I. Pinsk [12].

In recitatione Canonis Missae denique sacerdos in tertia post consecrationem oratione hisce verbis utitur: « Ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii Tui corpus et Sanguinem sumpserimus, omni benedictione caelesti et gratia repleamur ».

---

[11] *Rituale Romanum*, editio novissima 1925; Tit. IV, pars 2: Hic directiones inveniuntur, quomodo aperiendum sit tabernaculum, depromendum ciborium etc.

[12] J. Pinsk, *loc. cit.* pag. 88.

Haec verba, quae saepe parum accurate in linguas hodiernas vulgares vertuntur, non solum dicunt aliquam participationem Corporis et Sanguinis Christi, sed significant perceptionem Corporis et Sanguinis Christi propter vel per participationem huius altaris [13]. Non ergo participamus Corpus Christi quocumque modo, sed per quendam actum, qui in praesenti fieri dicitur, participes fimus huius Sacrificii, quod hic et nunc in altari peragitur. Qui actus nisi sub perceptione hostiarum eiusdem Sacrificii comprehendi non potest. Denique confirmatur nostra sententia ex variis libris ritualibus dioecesium, in quibus talis Communionem ministrandi usus usque ad ultima tempora indicabatur [14].

Unum hoc novum est, primo Litt. Encycl. « Mediator Dei » ex auctoritate concessum, ex probabili causa S. Communionem durante Missa e Tabernaculo ministrari posse, id quod Benedictus XIV. saltem explicite non attigerat [15]. Sed eo ipso, quod requiritur « causa » rectum ordinem esse Communionem ex *hac* Missa, iterum confirmatur.

Per Litt. Encycl. « Mediator Dei » ergo nihil novi exigitur, sed ordo de iure usque ad nostra tempora vigens, oblivione autem quandoque obrutus, renovatur. Minime casu Litt. Encycl. de nostra quaestione agunt, sed praxim pastoralem a recto more digressam redinte-

---

13 Cf. J. PASCHER, « *Das Hochgebet* », Georgianum, München.

14 Ad hoc notat GASSNER in « *Pastoral* »: « Cum in libris liturgicis de hoc modo tam saepe legamus ... clarescit hunc ritum s Communionem ministrandi menti Ecclesiae maxime respondere » (cf. TRAPP « *Vorgeschichte und Ursprung der liturgischen Bewegung* », Pustet, Regensburg 1940).

15 Ex intentionibus demum eorum, qui saec. 20° formas liturgicas renovare conati sunt, cum fideles infra Missam communicare vellent, in praxi eo deventum est, ut tam saepe durante Missa s. Communio e tabernaculo depromeretur.

grare volunt. Summatim ergo dicere licet S. Communionem secundum leges Ecclesiae ordinarie ex hostiis in eodem Sacrificio consecratis distribuendam esse.

II. Rationes internae, quae Communionem ex eodem Sacrificio commendant.

Vetus haec Ecclesiae consuetudo ordinarie distribuendi hostias eiusdem Sacrificii penitus cohaeret cum natura eius, quod:

1° Colligitur *ex modo quo* Dominus noster hoc Sacramentum *instituit*. « Coenantibus autem eis, accepit Iesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite, hoc est Corpus meum » (Mt 26, 26). Qui de his verbis integre iudicat, agnoscere debet, mandato Domini « hoc facite in meam commemorationem » (1 Cor 11, 24) maxime responderi, si per eundem ordinem progredimur ac ipse Dominus. Iam ex reverentia erga mandatum Domini hic ordo negligendus non est, nisi ex causa vere rationabili.

2° Hoc colligitur *ex proprietate usus symbolorum*. Symbolum enim est visibilis repraesentatio alicuius realitatis spiritualis[16]; pro fine habet realitatem aliquam invisibilem per signa corporalia ita ante oculos ponere, ut vim suam nobis exercere possit. Quaenam realitates spirituales vero per administrationem s. Communionis repraesentandae sunt? Excepta sustentatione spirituali, quae ad nostram quaestionem minus pertinet, erit

a) *participatio* aliqua vera eiusdem Sacrificii modo oblati. Si in Missa post Communionem sacerdotis omnibus s. speciebus huius Sacrificii iam sumptis, aliae hostiae ex Tabernaculo depromuntur, minus participatio

[16] Cf. O. Semmelroth S. I., « *Urbild der Kirche* », Echter-Verlag Würzburg, pag. 22.

huius Sacrificii, quam illius, in quo illae consecratae fuerint, significatur. Si quis dixerit « mentaliter id tamen fieri », respondendum est Liturgiam praecise symbolis uti sensibilibus ad evitandam mere mentalem relationem. Annotat I. Pinsk [17]: « Haec fidelium participatio praesentis Sacrificii hodie (saepissime) non iam in conspectum venit; et tantum mentaliter retenta fere evanuit prorsus. Qui hoc consequenter perageret, eo ipso dissolveret totam Liturgiam, cuius natura consistit in signis visibilibus et manifestis. Quid fieret de s. Communione, si commendaretur fidelibus mentaliter tantum percipienda! Idem valet in participatione Sacrificii, quam pariter non in regione quadam mentalis imaginationis retinere, sed manifestis signis exprimere oportet. « Fideles distributionem hostiarum eiusdem Missae videntes facilius animadvertent cohaerentiam cum hoc Sacrificio modo oblato, quae depromendo hostias ex Tabernaculo divellitur. Quod idem est, ac si ad processionem candelarum, quae fieri solet in Purificatione B. M. V., aliqui aliunde lumina accenderent neque expectarent, donec lumen de altare ad se venerit. Nemo tales lumen quoddam habere negaret, sed minime haberent lumen huius festivitatis neque haberent de eodem Sacerdote, qui hic et nunc Christi vices gerit, cum lumen Domini exspectare debuissent. Sic nobis corde sit oportet hoc detrimentum sentire, quo tam saepe laborat nostra Sacri ministrandi consuetudo. Cum aliqua evolutione, quae secum ferebat negligentiam symbolorum cohaeret nos hoc non iam sentire. Nostris autem temporibus usus et valor symbolorum etiam pro vita religiosa iam magis cognoscitur. Erit

b) *unitas* Mystici Corporis Christi. Hanc unitatem per panem Eucharisticum significari asseruit iam Paulus Apostolus (1 Cor 10, 16 ss.): « Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?,

---

[17] loc. cit., pag. 89.

et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus ». Unitas sacerdotis et fidelium autem significanter non apparet, nisi in Communione eiusdem Sacrificii. Hostiae enim tantum ab eodem sacerdote in eodemque Sacrificio consecratae symbolice unitatem perfecte exprimunt. Immo huius symboli vis eo clarius comprobatur, quo plures fideles etiam numerice unum panem participant sacerdote unum panem vel panes frangente eoque diligentius quoque sequimur exemplum Domini unum panem frangentis. Omnia enim efficienda sunt, « quibus vivens Mystici Corporis unitas clarius ad altare patescat » (Med. Dei, loc. cit. p. 566).

3° Colligitur ex forma externa Missae, quae est *forma convivii.* Aliquam considerationem praemittere debemus, ut vim huius argumenti recte intelligamus. Adhuc locuti sumus de Missa inquantum est Sacrificium deque Communione tamquam parte integrante eiusdem: hic est usus loquendi Litterarum Encyclicarum « Mediator Dei » et magis dogmaticus. Nihilominus licet etiam totam Missam propter formam suam externam — ergo magis phaenomenice ut ita dicam — dicere convivium, ipsa Ecclesia comprobante, cum iam primaevo tempore Missam nuncupat « Coenam Domini », seu « Sacram Synaxim », et una cum S. Thoma Aqu. exclamat: « O sacrum convivium, in quo Christus sumitur ». S. Thomam per haec verba non solum s. Communionem indicare, sed totam Missam formam convivii prae se ferentem, ex eo apparet, quod continuo subiungit: « recolitur memoria (utique realis!) passionis eius », id, quod exclusa consecratione comprehendi non potest. Neque id repugnat Litt. Encycl., ubi legitur: « An magis etiam ii aberrant, qui ... captiose asseverent heic agi non de Sacrificio solummodo, sed de Sacrificio ac coena fraternae commu-

nitatis »[18]. Haec nempe contra eos tantum dicta sunt, qui ex natura Missae, inquantum formam convivii prae se fert, falso omnibus fidelibus absolutam necessitatem imponere contendant, ut simul semper cum sacerdote s. Eucharistiam accipiant. Secundum formam suam externam Missa tamquam « Sacrum Convivium » iam apparet si private a sacerdote celebratur, etiamsi tunc solus sacerdos s. Communionem percipiat ex hac Missa sub utraque specie; illa externa forma « Sacri Convivii » plus manifestatur si post Communionem sacerdotis fideles percipiunt hostias eiusdem Sacrificii, imprimis, si dederunt ipsi eas et obtulerunt. Hoc genus loquendi utique nobis novum esse videtur et inconsuetum. Post Tridentinum enim propter dissensiones cum Protestantismo, quem dicunt, necessarium erat rectam fidem circa Sacrificium, quod Dominus coenae intime coniunxit, clarius proponere et inculcare, ut iam supra diximus. Insuper quo rarius tunc fideles ad sacram Synaxim infra Missam accedebant, eo magis etiam Missa secundum suam externam formam solummodo ut Sacrificium apparuit, attentione ad formam convivii magis magisque evanescente[19].

His praesuppositis ita argumentari licet: Si ergo s. Missam totam secundum suam externam formam tamquam Coenam Domini consideramus, tota eiusdem celebratio, praesertim si complete excolitur, hanc formam exhibet: primo mensa paratur; dona, i. e. panis, vinum et aqua apponuntur; sacerdos dein ea, quae consecranda

---

18 « *Mediator Dei* », loc. cit., pag. 563.

19 Ioseph Jungmann S. I., (« *Um die Grundgestalt der Messe* » in « Stimmen der Zeit », Herder, Freiburg 1948/49, pag. 310 sq.) etiam s. Convivium tamquam formam principalem s. Missae, quae primo visu percipitur et sub qua etiam Sacrificium continetur, concedit. Sed simul pulcherrime et fuse ostendit quomodo inde a principio evolutionis Liturgiae forma ista s. Convivii continet orationes et actiones, quae significant Sacrificium, praesertim Sacrificium Ecclesiae.

sunt, seligit. Ulterius sicut paterfamilias partibus Christi fungens dicit sollemnes, quae ritus sacer postulat orationes quasi tamquam benedictionem mensae super dona, quae pro omnibus parata sunt. Cum verba institutionis profert, Sacrificium Crucis renovatur. Hoc Sanctissimum Corpus et Sanguinem una cum sacerdote omnes circumstantes Patri caelesti offerunt et simul cum sacerdote, qui vices capitis Christi gerit, repraesentant Corpus Christi Mysticum, quod ex multis membris constat. Christus, caput, membra i. e. fideles ad coenam vocati, mensa, dona, omnia quae adhuc gesta sunt ut magnum et sollemne convivium apparent — praesertim etiam advenis et omnibus magis spontanee quae aguntur spectantibus — et tota actio secundum suam naturam ad eius consummationem in manducatione tendit. Nunc vero, cum esca illa coelestis sumenda est, secundum hodiernam praxim communem, fit illud, quod mirabile est dictu, quod tota actio interrumpitur. Non enim illa, quae allata, consecrata, oblata sunt, dona percipiuntur; sed sacerdos solus ex hoc convivio vescitur, et quia — semper si prae oculis habemus, quomodo ad extra nostra consuetudo hodierna spectantibus apparere debet — pro circumstantibus sufficienter non praeviderat, alia dona depromit ex quodam receptaculo, ibi reposita, ab alio convivio, quod fortassis alius sacerdos, alii fideles celebraverant: nonne hisce totus cursus consentaneus modo dictae actionis pervertitur? Idque cum tam facile fieri potuisset, quod commendant Litterae Encyclicae: « Debent non facile spernere ea omnia efficere, quibus vivens Mystici Corporis unitas clarius ad altare patescat. Haec detrimenta magis magisque sentire debemus. Patet ergo S. Missa tamquam Coena Domini secundum suam externam formam considerata, ordinarie hostias ex eadem consecratione distribuendas esse.

4° Colligitur *ex vera* Sacrificii *oblatione a parte fidelium* iam supra indicata. Legimus in Litteris Ency-

clicis: « Hanc autem restricti nominis oblationem christifideles suo modo duplicique ratione participant: quia nempe non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso quodammodo Sacrificium offerunt: qua quidem participatione, populi quoque oblatio ad ipsum liturgicum refertur cultum » ... « Magno autem cum animi gaudio certiores facti sumus eiusmodi doctrinam, postremis hisce praesertim temporibus, ob impensius multorum liturgicae disciplinae studium, in sua luce fuisse collocatam » [20].

Haec fidelium autem oblationis vera participatio non solum mentaliter conficienda est; quamvis interna illa votorum et mentis coniunctio satis collaudari non possit, tamen actione etiam externa in celebranda Missa sese manifestare debet. Tales actiones sunt: processio ad oblationem, alternae sacerdotis et christifidelium preces, largitio eleemosynarum; quae omnia in Litteris Encyclicis tamquam rationes afferuntur, quo sensu iure merito et ipse populus Eucharisticum Sacrificium offerre dicatur. Ibidem speciali mentione digna ut signum verae oblationis a parte fidelium censetur canonis conclusio « per ipsum et cum ipso et in ipso est tibi ... etc. », quibus populus respondeat « Amen ». Non parvi denique pendenda ad significandam hanc populi in oblatione Sacrificii participationem est Communio hostiis in ipsa Missa consecratis, i. e., hostiis, quas ipsi fideles fortasse contulerunt, quas altari superpositas in divinam victimam conversas una cum sacerdote Patri Caelesti obtulerunt, haec populi participatio enim per communionem completur, quamvis in hoc actu non consistat. Ideo dicitur in Litteris Encyclicis « non tamen idcirco aut vetuit umquam Ecclesia, aut modo vetat, satisfieri ab ipso sacerdote pietati et iustae eorum petitioni, qui Missae adstantes, ad consortium admitti postulant eiusdem Sacrificii, quod

---

20 « *Mediator Dei* », loc. cit., pag. 555 s.

et ipsi pariter offerunt ea ratione, quae ipsos docere potest ».

Perspicuum autem est per Communionem hostiis e Tabernaculo promptis talem actuosam fidelium participationem ut peractam minime manifestari, cum offerentes hoc modo ex suis oblationibus ne species quidem percipiant.

5° Denique vetus Ecclesiae consuetudo ulterius *fundamentum* habere videtur *dogmaticum*. Communio enim non solum aliquam participationem Sacrificii symbolice significat (ut supra II, 2 diximus), cui symbolo aliqua spiritualis realitas responderet, sed quia per consecrationem ipsum Corpus Domini realiter continet perinde ac « vehiculum gratiae » talem *participationem vere efficit*. Aliquos fructus sane fidelibus etiam non communicantibus dilargitur divina bonitas, id, quod tamen ad nostram quaestionem non pertinet. Ordinarie autem Eucharistici Sacrificii fructus copiosos homines per s. Communionem participant. Aliquos textus tamquam argumentum videamus.

Sacra Tridentina Synodus enim affirmavit: « Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior proveniret » [21]. Benedictus XIV similiter in Litteris Encyclicis « Certiores effecti » sacramentalem hanc christifidelium Communionem veluti rem, quae sua sponte intelligitur, ponit, v. gr.: « Vetus Ecclesiae praxis ..., iuxta quam fideles Missis adstantes participare ... solebant sacrosanctum Sacrificium, institutioni ... Christi Domini omnimodo convenit ». Et in Litteris Encyclicis « Mediator Dei » Pius XII: « Sacra Synaxis ad idem (sc. Eucharisticum Sacrificium) integrandum ad idemque par-

---

[21] Concil. Trident. Sess. XXII, cap. 6 (Denz. 944).

ticipandum pertinet » et paulo infra pergit: « Quandoquidem ... per Angelorum panis convivium, Sacrificii ... sacramentali etiam Communione participes fieri possumus, idcirco Ecclesia Mater, ut efficaciore ratione « Redemptionis fructum in nobis iugiter sentiamus », filiis suis ... Christi Domini invitationem iterat: Accipite et manducate » [22]. Clare omnibus his textibus pronuntiatur Sacri Sacrificii fructus per Communionem ad nos venire [23]. Si autem fructus Missae — utique non omnes, sed ordinarie maior pars eorum — per S. Communionem distribuuntur

1. omnino conveniens est, hoc fieri hostiis in hac Missa consecratis et insuper ordinarie etiam hostias consecrari, ut fieri possit;

2. oritur autem ulterius quaestio, utrum haec distributio fructuum S. Sacrificii etiam hostiis praeconsecratis ex Tabernaculo sumptis, (si id fiat intra Missam) an solummodo hostiis in hac Missa consecratis fieri possit. Veniuntne fructus, qui copiosissime per S. Communionem distribuendae sunt uno eodemque modo ad omnes sive id fiat hostiis eiusdem Sacrificii, sive hostiis superiore tempore in alia Missa consecratis?

Quod sacerdotem celebrantem attinet haec quaestio omnino neganda est. Ex hac altaris participatione communicare debet. In hoc enim una ex rationibus essentialibus consistere videtur, cur sacram sub utraque specie Communionem ab ipso sacerdote omitti numquam oporteat; quin etiam sacerdote durante Missa in ea casu impedito, conficienda sit ab altero. Non symbolice enim tantum, sed revera Sacrificium Eucharisticum per s. Communionem perficitur et concluditur, quamvis s. Communio elementum constitutivum s. Sacrificii non sit.

---

22 loc. cit., pag. 563 s.

23 Clare idem testantur permultae Postcommuniones Missalis Romani.

Quomodo autem respondendum est quoad fideles circumstantes?

Videtur dicendum eis in genere eosdem fructus convenire, sive communicent intra Missam hostiis ex hac Missa, sive hostiis ex alia Missa ex Tabernaculo forte sumptis. Litt. Enc. « Mediator Dei » enim explicite monent: « Quamvis vere ac reapse Sacrificium participetur, etiamsi de Eucharistico Pane agatur, cuius consecratio iam antea rite peracta fuerit » (vide supra pag. 1).

Tamen participatio fructuum, si s. Communio fidelibus hostiis eiusdem Sacrificii ministratur, *efficacior* videtur; eo uberiores fructus enim ad fideles perveniunt et quidem non solum ex opere operantis, uti dicunt, sed etiam ex toto opere operato — quo apertiores et sacrae actioni quasi promptiores sunt ipsorum fidelium mentes [24/25]. Quae animi dispositio autem ceteris paribus eo melius erit, quo melius externa actionis series totius s. Missae in suo symbolismo ordinata est, quo magis perspique pro fidelibus circumstantibus unitas Corporis Christi Mystici apparet et summa s. Missae cum Cruce, cum Coena Domini, cum nuptiali et caelesti convivio coniunctio. Id vero efficitur, si hostiae eiusdem Sacrificii distribuuntur et aliae partes, quae actuosam fidelium oblationem significant bene excultae sunt. Idem dicendum est, si s. Communionem extra Missam cum s. Communione intra Missam ex hac altaris participatione comparamus. — Quibus omnibus funditus deliberatis quaerendum est:

---

[24] Cf. Karl Rahner S. I., « *Die vielen Messen und das eine Opfer* » in Zeitschrift für katholische Theologie (Herder, Wien) 1949; pag. 257 ss.

[25] Quod resultat ex relatione, quae intercedit inter efficaciam Sacramenti et internam dispositionem accipientis.

III. Renovatio ordinis antiqui Ecclesiae in praxi hodierna.

Viae variae, etsi non sine ulla difficultate, patere videntur in praxim votum S. Pontificis deducendi. Quattuor modos suademus.

1° Modus simplicissimus — activa participatione populi exclusa — erit hic: maiorem numerum hostiarum sacerdos consecrat easque in tabernaculo reponit ad communicandos aegrotos, ad benedictiones, ad Communionem populi quoque, bis in mense easque in Ciborio tabernaculi reponit, quemadmodum etiam eam hostiam, quae in benedictionibus sollemnioribus exposita oculis fidelium monstratur. Ad unamquamque Missam in credentia praeter aquam et vinum etiam specialis aliqua patena, si fieri potest, secus parvum aliquod ciborium una cum hostiis consecrandis praeparatur. Quot fideles ad s. Communionem secundum experientiam exspectandi sunt, tot hostiae patenae imponere oportet. Ad Offertorium minister patenam seu ciborium cum linteamento prehendens devote affert sacerdoti, postea vinum et aquam. Facta Communione hostiae consecratae, si quae supersunt, vel in tabernaculum recluduntur, nisi sacerdos forte paucas tantum remanentes consumpserit; numero non ad unum conveniente hanc difficultatem vel frangendo vel ultimo communicando alteram porrigendo solvere licebit. Miratio populi fortassis oriunda facile brevi instructione liturgica superabitur. Hostiae in tabernaculo conservatae subsidiarie distribuuntur quoties ex hac Missa sumendae non sufficiunt. Patenam sicce purificatam minister (mediante linteamento) in credentia reponit. Ciborium vero si adhibitum fuerit melius cum aqua purificandum erit. Omnino omnes sacrae hostiae in tabernaculo reservatae certe bis in mense renovandae sunt, qui dies utilissime in di-

rectorio sacristiae notatur [26]. Hanc renovationem die Dominica peragendi consulendum est, quando maior populi ad s. Communionem concursus habetur.

2° Qui modus simplicissimus amplificari potest per sollemniorem translationem patenae seu ciborii ad altare, in qua similitudo processionis offerentium habetur, nulla tamen revera. In credentia vel, si est utilius, in altari minore inter duo candelabra superposita atque candelas accensas praeparata sint vinum et aqua atque patena (sive ciborium) cum hostiis. Circa Offertorium de altari maiore quattuor ministri veniunt, qui oblata et lumina accipientes ad breve agmen conformati procedunt; duo primi manibus tenent candelabra, duorum sequentium unus aquam et vinum, alter hostias. Sine indecenti festinatione ad cornu epistolae progressi, dum chorus, vel melius chorus simul cum populo Offertorium cantat, oblata porrigunt sacerdoti, qui ea cum omni reverentia accipit. Candelabra deinde in credentia reponuntur; mora autem, quae per exspectationem ministrorum orta est, non est illicita [27]. Haec forma magis idonea erit, quae adhibeatur in Missis sollemnibus et Ecclesiis maioribus, ubi formae paulo infra explicatae forte utiles non erunt propter loci latitudinem vel frequentiam communicantium. Si dicta vero digne et graviter omni die Dominica et diebus Festivis fiunt, omnes circumstantes fideles procul dubio eo pervenient, ut seipsos vere hoc praesens Sacrificium offerre et seipsos huius convivii, quod hic et nunc perficitur, participes fieri magis magisque intelligant [28].

---

[26] Communiones fidelium ad relationes pastorales statisticas minus accurate numerabuntur, id, quod minoris momenti esse videtur.

[27] Cf. J. Gülden in K. Borgmann « *Volksliturgie und Seelsorge* », Alsatia, Kolmar (Elsass); sine anno, pag. 112.

[28] Praxis haec exercebatur Francofurti durante 1° Congressu Liturgico Germaniae 1950, cum semper 800 communicandi essent.

3° Sed in hac symbolorum explicatione ultro ad formas, quae processionibus offerentium assimilantur iam antiquioribus saeculis familiaribus, procedere licet. Rationes patent: evitaretur difficultas numerandi communicantes; christifideles actuosam suam Missae participationem magis intelligent non intuendo solum sive per ministrum agendo, sed agendo quoque per se ipsos; vera oblatio Sacrificii a parte fidelium, de qua supra diximus, hic optime manifestari potest, quod non parvi pendendum est. Renovationem aliquam talis processionis ad offerendum ipsae Litterae Encyclicae non obscure insinuant his verbis « ... itemque, quia nonnumquam — quod antiquitus eveniebat crebrius — administris altaris panem vinumque offerunt (sc. fideles) ut Christi Corpus et Sanguis fiant ... » [29]. Veram antiquam processionem hoc quidem appellare non poteris, cum fideles non proferunt dona a se allata [30], sed sub hoc respectu aliquid novum. Magis compensatio quaedam haberetur nativae huius consuetudinis, cuius interna sensa exprimerentur et renovarentur. Itaque duo modi cogitari possunt:

a) prior modus sic eveniet [31]: prope aditum Sacelli vel in media parte Ecclesiae inter scamna populi (non prope aditum ecclesiae) vel, ubi utilius erit, inter populum et cancellos altaris, collocatur parva mensa. In qua

---

29 « *Mediator Dei* », loc. cit., pag. 555.

30 Si ad hoc spectas, haberetur novum aliquid, non tamen ideo iam reiciendum, cum hodie etiam ipsa fidelium oblatio Sacrificii nova luce cernatur; largitio pecuniae vel aliarum rerum, quamvis maximi sit momenti, ad nostram quaestionem non pertinet.

31 Cf. J. Gülden, loc. cit., pag. 112/13; Clemens Tilmann in « *Stimmen der Zeit* » (1948/49) pag. 164; in praxim iam deductus est hic modus in sacello inferiori Abbatiae « Maria Laach », in Ecclesia paroeciali Oratorii Lipsiensis, Monachii in Bavaria in Ecclesia paroeciali « ad St. Raphaelem », in sacello domestico Instituti « Georgianum » nuncupato (Monachii) ubi theologi formantur; qui modus etiam commendabatur in Congressu Liturgico Francofurti 1950, referente J. Gülden.

decenter cooperta, vas planum linteamento parvo tectum positum est. Panes non consecrati superimponuntur, similiter praesto est (= piccolo cucchiaio piano) ligula quaedam, ne digitis comprehendantur hostiae, insuper patena vel ciborium. Unusquisque ex hac Missa communicaturus hostiam ponit mediante ista ligula in patena, deinde considit; idque fieri potest a principio Missae usque ad Epistolam [32]. Ad offertorium oblata a ministro ad altare portantur. Hunc modum ex natura rei sua limina habere patet. Ubicumque stabilis societas Missae adstat sive in coenobiis, sive in Exercitiis spiritualibus, sive in conventibus iuvenum, hic modus erit aptissimus; nihilominus aptus etiam, qui exerceatur in Ecclesiis maioribus cum omnibus fidelibus in Missis ferialibus et ad altaria minora. Utrum hic modus etiam pro Missis sollemnibus harum Ecclesiarum aptus sit, a circumstantiis semper dependet: sc. ab ambitu Ecclesiae, a numero communicantium, ab eruditione populi praemissa. Notat J. Gülden [33]: « In celebratione Missae nihil mutatur (sc. per hunc usum); censet quoque Prof. Brinktrine hunc oblationis ritum minime rubricis repugnare. Processio offerentium stricte dicta, quae in nonnullis dioecesibus definite vetita est, non habetur, cum fideles dona non ipsi ad altare proferant; Neque innovatio contra Can. 818 C. I. C., quo sacerdos tenetur, ut accurate et devote servet rubricas neve alias caeremonias aut preces proprio arbitrio adiungat; neque enim oriuntur novae caeremoniae pro sacerdote neque ulla habetur rubrica, qua statueretur, utrum sacerdos vel minister vel ipse communicaturus laicus hostias consecrandas in ciborio imponat; nihilomagis, utrum ciborium ante Missam vel ad

---

[32] Circa Offertorium ministri transferunt dona ad altare, ut supra (III, 1 et 2) explicavimus, sive modo simplici, sive sollemni; v. gr. diebus Dominicis tunc simul etiam vinum et aquam in altari forte minori positam portare possunt.

[33] J. GÜLDEN, loc. cit.

Offertorium a certa persona ad altare ponendum sit. Dona, si celebratur Missa sollemnis, ad altare transfert Subdiaconus; aliter sacrista sive alius idoneus minister hoc faciat, cum ea qua par est reverentia ciborium cum puro linteamento prehendens. Mora, si qua detecto calice fortasse intercedit ante oblationem panis, antequam ciborium ad altare transferunt, non interrumpit Liturgiam illicite; cuius minimae retardationis in qualibet Missa sollemni ratio habetur, dum Subdiaconus ad altare pervenit ». Insuper patena et ciborium non consecrata et ciborium benedictum tantum laico et omni ministro licet manibus reverenter tangere, unde etiam in loco ab altare remotiore id ponere fas est omnino. Sacristano saepe non communicaturo, hostias in ciborio ponere licet. Difficile intelligi posset, cur fidelibus ex hac Missa communicaturis, bene eruditis et dispositis idem non liceat. Neque variae, quae habentur in Litteris Encyclicis « Mediator Dei » monitiones, ne proprio arbitrio novitates inducantur, merito contra nostram proferri possunt quaestionem, quia unice votum ipsius Summi Pontificis in praxim deducere contendit. Insuper Litterae Encyclicae ipsae processionem aliquam offerentium commemorant (vide supra pg. 16). Haec forma tamen, accurate pertractata sit oportet populoque perspicue declarata; atque semel introducta fortiter retinenda est, ne populi consuetudo saepius mutetur, neve « sacris aedibus quasi experimenti causa » [34] utamur. Si vero pro rerum opportunitate varii modi adhibentur, tempestive fideles vel etiam peregrini certiores faciendi accurateque instituendi sunt. Omnes fere, quae in contrarium afferri possent dubitationes practicae, facile solvuntur. Non est timenda immunditia, quae quasi contra sanitatem esset, si ita omnia exercebuntur, uti diximus. Hostiae enim non tanguntur. Nihilominus, si opus esset vas, in quo hostiae praesto

---

[34] « *Mediator Dei* », loc. cit., pag. 562.

sunt, etiam palla tegi posset ut tueatur a pulvere. Neque senioribus hostias imponere difficile esse, experientia constat. Sed si quis alteram hostiam propter visus debilitatem, vel tertiam captaret, nihil refert. Adde — si quis vere difficultatem patiatur — quod nemo iubetur, hunc novum ritum exercere; cuique ordinem antiquitus solitum servare licebit. Etiam liberi admitti possunt, ut ipsi imponant panes. Sed si plures sunt, in modum agminis procedentes, ad omnem, quae par est reverentiam compellantur et simul aliquam orationem convenientem dicant [35]; quae disciplina si deesset, retineantur et adultus pro iis hostias imponat [36].

Si hic modus adhibetur pro Missis sollemnibus Ecclesiarum maiorum et ambitus ecclesiae seu multitudo populi id adhuc permittat (vide supra pg. 17), tunc sicut supra in modo primo et secundo (pg. 14 et 15) a sacristano in ciborio seu patena iam ante Missam, ut certe sufficiant, aliquis determinatus numerus hostiarum imponatur. Insuper celebrans sicut supra in modo primo descripsimus (pg. 14 et 15) procedere potest scilicet: vel tempestive frangendo vel subsidiarie complendo hostiis praeconsecratis ex Tabernaculo.

b) Posterior modus esset vera processio offeren-

---

[35] v. g. germanice: « Wir opfern mit den Gaben uns selbst mit frohem Sinn, nimm was wir sind und haben, o Vater, gnädig hin ».

[36] Gülden notat (loc. cit. pag. 113): « Ut usu perdocti scimus, perceptio s. Communionis ita (sc. per hunc oblationis usum) non molestior redditur, ut numerus communicantium forte minueretur. In nonnullis paroeciis, ubi hic mos iam habebatur, e contra numerus crevisse videtur. Plurimi fideles mox haec parva propriae suae liturgicae actionis signa diligent neque libenter iis iterum carerent ». Si aliqui obiciant in Ecclesia hoc modo nimiam perturbationem oriri: tunc possumus (cum J. Gülden) respondere: turbam maiorem non esse atque in processionibus, quae ex antiqua consuetudine in variis regionibus in Missis Exsequialibus habentur, ubi omnes altare circumeunt (!) et suam eleemosynam dant.

tium ad cancellos altaris [37]. Ad Offertorium processio fidelium conformatur et inter scamna populi et inter cancellos Presbyter sive Acolythus consistit, qui vas cum hostiis tenet. Deinde Celebrans descendit ad cancellos ciborium tenens vel patenam. Ubi iam ex antiqua consuetudine aliarum offerentium processionum licet Sacerdos etiam intra presbyterium propius altari consistere potest. Nunc alius ex alio se confert ad sacerdotem sive acolythum et hostiam unam manu prehendens eam transtulit ad cancellos et ponit in patena a Celebrante porrecta. Hostiae etiam ab Acolytho poni possunt in palmis fidelium, si vis linteolo manibus planis superposito, praesertim liberorum. Talis processio aptissime exercebitur cum parvis coetibus, ubi omnes inter se noti sunt; cum omnibus vero unius paroeciae fidelibus institui potest, si amplitudo Ecclesiae et numerus fidelium permittit, saltem interdum propter suum magnum valorem symbolicum, quo clarius et manifestius omnes offerrentes in hoc augustissimum Sacrificium receptos se et quasi submersos intelligant. Talis processio praesertim etiam ex eo maximi aestimanda est, quia haec forma intime assimilatur antiquae consuetudini Ecclesiae Romanae, sicut describitur in Ordine Romano primo (ML 78). Timor immunditiae facile superabitur, si omnibus mundities manuum cordi est et si hostiae leviter tantum tanguntur. Panis, quem manducamus cotidie, in quot manibus hominum versabatur! Pistor, qui vendit, qui emit, aliique fortasse eum contrectaverunt. Ne nimiae retardationes oriantur in sacra actione hanc processionem offerentium exercere satius erit aliquoties in anno. Notat ad id Pruner-Seitz: « Quaedam retardationes in celebratione Missae ex consuetudinibus liturgicis ortum habent et licentiam v. gr. ...: acceptio sollemnium oblationum ante Offertorium (ad Benedictiones, ad nuncupationem

---

[37] Cf., quod moderantes supra diximus: (III, 3, ante a).

votorum) ... aliae vero non inducantur nisi urgente causa rationabili »[38]. Haec processio fidelium non necessario novus ritus dici debet, cum similes oblationes ex aliis rationibus alibi iam in usu sint[39], et etiam processiones oblationum pecuniae v. gr., aliorumve donorum, quae fraterna charitas dilargita est, peragere licet. Utique salvis praeceptis particularibus Ordinarii loci[40]. Si quis postremo dixerit illis, qui ad s. Synaxim accedere nolunt, acerbissimum esse remanere, aliis procedentibus, respondendum est: neminem ad processionem cogi; plures semper erunt, qui quamquam communicaturi, in sedibus tamen remanebunt.

4° Ultima denique nostrae quaestionis solutio erit renovatio vetustissimae consuetudinis, sc. confractionis panis, quae, cum ad consecrationem panis nondum azymus exigeretur, in frequenti usu erat. « Cum magis magisque panis azymus adhibebatur ... primo tenues orbes panis triticei maioris formae ad altare proferebantur, ubi ad communicandum populum frangebantur ... Quocum congruit quod (aliquibus locis) etiam Dominicis, quando certe plures ad s. Communionem accedebant, quinque hostiae tantum offerebantur. Circa annum 1140 in Basilica ad S. Ioannem in Laterano adhuc integrae oblatae consecrabantur et confringebantur. Cum vero populus solum in sollemnioribus festis sacram Communionem perciperet, iam decursu saeculi duodecimi hostia sacerdotis minorem quam adhuc habet formam, assumpsit; quae tunc etiam retinebatur diebus, quibus populus ad s. Communionem accedebat. Ut enim fractio panis nunc omnino evitaretur, ad communicandum populum par-

---

[38] Pruner-Seitz, *Pastoraltheologie*, tom. I, pag. 93, Ferdinand Schöningh, Paderborn 1923.

[39] Cf. Pruner-Seitz, loc. cit.

[40] In nonnullis dioecesibus Germaniae huiusmodi processionem oblationis hostiarum exercere non licet; tamen sperare possumus licentiam impetrari posse.

ticulae unicuique accomodatae confici coeptae sunt »[41]. Iam ergo in historia Liturgiae Romanae tempus fuit, quo ea materia, quam nunc adhibemus, sc. panis azymus, fidelibus frangeretur, idque non propter difficultates abiectum est, sed eo, quod — aliis ex causis — populus sacram Communionem minus frequenter percipiebat.

Pro renovatione confractionis panis rationes seriae afferri possunt. Quo pluribus fidelibus hostiae distribuuntur frangendo quam paucissimae, eo magis appropinquaremus institutioni Domini, qui ipse panem fregit. Sacra Eucharistia simpliciter dicta est tempore Apostolorum: « Fractio panis » (v. gr. Act. 2, 42). Multo clarius iam per distributionem eiusdem Sacrificii hostiarum Mystici Corporis Christi unitas sub symbolo appareret, si secundum illud S. Pauli[42] unus panis vel pauci tantum pro multis frangerentur.

Hic modus confractionis panis cum paucis tantum fidelibus exerceri potest, quorum numerus antea notus sit oportet et videtur praesertim pro celebratione matrimonii et similes casus aptus esse. Pro numero communicantium sacerdos, alteram vel tertiam hostiam maioris formae consecrat, quae ante distributionem super patenam sacerdotis frangitur. Plures hostias maiores consecrare certe secundum hodierna praecepta licet; neque rotunditas hostiarum praescribitur[43]. Attendendum autem est fractionem panis pro populo simul cum fractione, quae nunc in Canone Missae praescribitur, secundum rubricas non licere.

---

41 J. Jungmann S. I., loc. cit., tom. II, pag. 43.

42 Cf. quod supra diximus II, 2, b).

43 Miratio aliqua populi prudentia pastorali et instructione evitanda est.

IV. Consequentiae practicae.

Quae supra in III parte suasimus aliquas commutationes secum ferent. Primo ciboria nostra hucusque usitata saepe nimis ampla erunt. Habent etiam formam calicis. Minus autem convenit panem praebere e poculo. Insuper plura ciboria circumdare calicem Missae informe est adspectu. Iam aspectu iucundiores erunt patenae quaedam circa unum calicem positae, quae facilius etiam siccae purificantur. Inde optandum, ut patenae maioris formae 100-200 hostias bene capientes (in officinis v. gr. Abbatiae Maria Laach iam bene excultae), denuo in usum veniant. Simpliciores huiusmodi patenae iam in Ecclesia Cathedrali Augustae Treverorum interdum adhibentur [44].

Ultro hostiae maiores (3 cm diam.) adhibendae videntur et grassiores (2 mm), saltem multis locis. Quia nempe hucusque raro tantum consecrare consueverunt et ad reponendas quam plurimas in uno ciborio hostias minores, istae saepe factae sunt tam tenues, ut Prof. Romano Guardini in Conventu Liturgico Francofurti ad Moenum 1950 habito merito de « papyro » loqui potuerit. Sed si in omni Missa consecramus in tabernaculo plurimas hostias reservari non iam necessarium erit. Simul, si maiores sunt, symbolicam quoque significationem cibi spiritualis clarius manifestant et facilius franguntur, si hostiae eiusdem Sacrificii deficiunt. In hoc casu fideles adhuc verum frustum S. Panis accipiunt et damnosa admiratio evitatur. Similiter consuetudo tabernaculum in altari ponendi — quae inveterata est eo fere tempore, quo s. Eucharistia ex eodem Sacrificio distribui desita

[44] De patenis magnae formae, super quas panis non azymus frangebatur, cf. J. Jungmann S. I., loc. cit., tom. II, pag. 368; pag. 499 idem scribit: « Huic negotio (ut sc. s. Eucharistia eiusdem Sacrificii ministretur) hodie saepe impedimento erit forma Ciborii, quod non sicut patena celeriter purificari potest ».

est — non iam necessaria erit [45]. Ita id ponere satis erit, ut SSmum Sacramentum ad benedictiones sollemnes vel ad s. Communionem facile ad altare transponi possit et, ut fideles devotos semper ad adorandum invitet; quae tamen adhuc can. 1269 C. I. C. vetantur. Specialis ergo licentia Superiorum necessaria erit. Ad exponendum Sanctissimum in altari thronus proprius collocandus esset.

Remoto vero tabernaculo facilius etiam interdum Missa versus populum celebrari poterit, quod ibique in Ecclesia licet, nisi obsunt praecepta particularia [46]. — In novis Ecclesiis vel post bellum restaurandis altaria ita construenda essent, ut haec versus populum celebratio, etsi non semper exerceri debeat, saltem non penitus impediatur; quae occasio quidem bello peracto praetermissa est saepe. Haec celebratio praesertim haud parum conferret, ut mentibus adstantium unitas illa, quam inter omnes fideles Sacrificium Missae efficit, clarius patescat et, ut eiusdem Sacrificii participes fieri per s. Communionem ex hac consecratione impensius exoptent. Omnes convivium agi evidentius sic animadverterent, sed simul etiam actiones et gestus sacerdotis, praesertim eos, qui Missam ut verum Sacrificium significant: v. gr. benedictiones, extensionem manuum super dona, elevationes Hostiae et Calicis ante consecrationem, praesertim vero parvam illam elevationem in fine Canonis, quam plurimi primo observarent. His mutationibus, quae ad constitutionem altaris attinent impedimento erunt sentimenta

---

45 Cf. quod diximus supra in parte I.

46 Cf. quod dicit « *Ritus celebrandi Missam* » in Missali Romano V, 3: « Si altare sit ad orientem, versus populum, celebrans versa facie ad populum, non vertit humeros ad altare cum dicturus est: Dominus vobiscum; Orate, fratres; Ite, missa est; vel daturus benedictionem, sed osculato altari in medio, ibi expansis et iunctis manibus ..., salutat populum et dat benedictionem ».

quaedam hominum praesertim ex arte « Barock » provenientia, cuius opera, quamvis saepe sint egregia, tamen si ad s. Liturgiam spectas, interdum videntur esse minus laudabilia et ideo corrigenda.

Examinando omnes diversas quaestiones practicas conati sumus removere impedimenta et dubitationes, ut pastores quam primum ad exsecutionem voti S. Pontificis progredi possint; sed fortasse ipsi, quibus fidelium cura commissa est, dicant contra estne res talis momenti? Nonne alia magis necessaria praesto sunt? Nonne graviores quaestiones urgent? Quibus respondendum est: per multa saecula plurimis actionibus pastoralibus sive ordinariis, sive extraordinariis non iam exsistentibus dominicalia integra et omnimodo exculta Missarum Sollemnia unica Ecclesiae ratio pastoralis erant. Attamen negari non potest magna perpetrata esse illis temporibus: aevum paganum superatum est atque mundus in christianum conversus [47]. Nostris quoque diebus celebratio Missae robur pro Apostolatu emittere potest in impigros praeprimis atque assiduos e fidelibus nostris, qui thesauris omnibus, qui in Missarum Sollemnibus latescunt detectis, per ea christiani vere catholici effici possunt.

Quamvis id tamquam finem ultimum intendere non videamur, tamen e christianis catholicis, qui toto affectu tali Missae celebrationi interesse consueverunt, communitas christianorum missionaria formabitur, in qua maxime pro futuro spes nostra nititur [48]. Ideo omnia, quae conferunt, ut Missae celebratio recto et completo ordine componatur, corde amplectamur oportet, illa praesertim,

---

[47] Cf., quae dixit J. JUNGMANN S. I. in Conventu Liturgico Francofurti anno 1950 habito super: « De Missarum Sollemnibus dominicalibus deque eorum momento pro vita religiosa et ecclesiastica, uti elucet ex aspectu historico ».

[48] Cf. CLEMENS TILMANN, « *Die Liturgie missionarisch gesehen* », Herder, Friburgi Brisgov. 1949.

quae modum quendam deminutionis, in quem consueta in Ecclesia praxis iam inde a saeculis devenit, penitus tollunt atque redintegrant. Nemini non patet rem ut totam semper esse considerandam; nemo asseverabit hoc unico nostro tentamine omnia in statum meliorem reduci posse. Omnibus bene circumspectis fateri cogimur formam externam Eucharistici Mysterii, quod medium est et centrum totius nostrae religionis in non paucis esse diminutam. In multis Ecclesiis Missa hucusque non iam vocari potest perfecta celebratio communis: Nulla habetur populi responsio; non iam invenies offerentium processionem; non iam datur pacis osculum, ne ea quidem forma, qua fideles manus sibi invicem porrigunt, immo ne quidem reconciliationem cogitant. Ad novissima tempora usque, donec edita sunt decreta B. Pii Pp. X sanctae rec., rara erat s. Eucharistiae perceptio, neque ulla processio Communionis infra Missam iam exercebatur; adhuc desiderantur lectiones pro populo intelligibiles, quas antiquis temporibus omnes intelligebant; saepius non habentur veri nominis panes, sed orbiculi tantum adeo tenues, ut « papyrum » potius quam panem eos nominares; desideratur postremo Corpus Domini ex eadem Missa, qua est consecratum, distribui. Ideo certe quaestionem ponere liceat: nonne omnia, quae iuvant ad redintegrandam Missae formam, si consideramus quanti sit momenti pro Ecclesiae vita, nonne omnia dico, quae dictam diminutionem irritam faciunt, nobis cordi esse debent?

Quod s. Missa inquantum est Sacrificium itemque realis et substantialis praesentia Christi Domini praesertim etiam in SSmo Sacramento inquantum in tabernaculo reservatur, praeteritis saeculis fortiter praedicabatur, certe non sine Spiritus Sancti afflatu factum est et plurimos laetos fructus Ecclesiae afferebat necnon

nostris temporibus affert [49]. Tamen ista evolutio simul quaedam damna pietati christianae attulit: Communione a Missae Sacrificio separata relatio inter utrumque oblivioni multum demandata est. Cuidam individualismo, ut ita dicam, ita ansa praebita est: s. Communio apud permultos mere personalis, quo solummodo pro seipsis Iesum, immo Iesum Infantem pie invenerunt, affecta est [50]. Ipsum Missae Sacrificium magis magisque pium exercitium aliquod esse visum est. Fieri potuit, quod aliqui pluris faciebant Benedictionem sollemnem cum SSmo Sacramento exposito quam Sacrificium Missae: maiores inde pro sua pietate personali se capere crediderunt fructus. Hanc evolutionem in praxi ita esse corrigendam fateamur oportet, ut intima conexio Coenae cum Missarum Sollemnibus iterum praedicetur et ostendatur. Iam B. Pius Pp. X. modum, in quem haec res in historiae decursu per decem saecula deveniebat, corrigendam esse decrevit; similiter quoque vota Summi Pontificis Pii Pp. XII. intelligas.

Raimund Hammer
SS. Theol. Doctor et parochus
Monachii in Bavaria

---

[49] Cf. Ludwig Hertling S. I., « *Geschichte der katholischen Kirche* », pag. 172/73 et pag. 45; Morus-Verlag, Berlin 1949.

[50] Hic sc. nil affirmatur contra piam gratiarum actionem fidelium communicantium, quae enixe commendatur Litt. Encycl. « *Mediator Dei* », (cf. *A. A. S.*, loc. cit., pag. 566).

MONUMENTA

7 - Constitutio Apostolica
De Spirituali Emigrantium Cura

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

(*A. A. S.* XXXIV [30 sept. 1952] p. 692)

TITULUS ALTER

NORMAE PRO SPIRITUALI EMIGRANTIUM CURA GERENDA

CAPUT I

De competentia S. Cogregationis Consistorialis in emigrantes

Recognoscentes, adprobantes et confirmantes quae Decessores Nostri f. r., et praecipue B. Pius X, statuerunt, simul tamen eadem nonnihil, prout necessitas urgere videtur, immutantes, has quae sequuntur leges in posterum servandas volumus et decernimus.

1. - § 1. Sacrae Nostrae Consistorialis Congregationis est eidemque exclusive competit quaerere et ea omnia parare quae spirituali bono cedant emigrantium Latini ritus quocumque pergentium, collatis consiliis cum Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali vel cum Sacra Congregatione de Propaganda Fide si agatur de adeundis territoriis quae sint isti vel illi Sacrae Congregationi subiecta.

§ 2. Sacrae item Consistorialis Congregationis est eadem quaerere et parere in favorem emigrantium Orientalium rituum, initis pariter consiliis cum Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali, quotiescumque emigrantes unius vel alterius ritus Orientalis loca petant eidem Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali haud obnoxia nec praesto sit sacerdos proprii ritus.

2. - § 1. Sacerdotibus Latini ritus, si quando emigrent, unice cavebit Sacra Congregatio Consistorialis.

§ 2. Sacerdotes Latini ritus, Sacrae vero Congregationi pro Ecclesia Orientali aut Sacrae Congregationi de Propaganda Fide subiecti, migrari cupientes in territoria eisdem Sacris Congregationibus haud obnoxia, salvis quidem iuribus earundem Sacrarum Congregationum, stare quoque tenentur normis hanc in rem a Sacra Congregatione Consistoriali datis vel forte dandis.

§ 3. Quibus normis sese accommodare tenentur sacerdotes rituum Orientalium, emigrantes in territoria Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali non subiecta, firmis legibus et integro manente iure eiusdem Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali.

3. - § 1. 1° Unius Sacrae Congregationis Consistorialis est sacerdotibus, qui ex Europa vel Mediterraneis oris ad exteras transmarinas regiones, per quodvis temporis spatium, sive breve sive longum sive indefinitum, aut in perpetuum, migrare desiderent, licentiam proficiscendi ibique manendi aut diutius commorandi concedere.

2° Nuntii, Internuntii et Delegati Apostolici eandem licentiam concedere poterunt sacerdotibus illius nationis, apud quam legatione stabili funguntur, dummodo huiusmodi facultas eisdem attributa sit et reservata.

§ 2. 1° Quam licentiam obtinere debent sacerdotes, de quibus in § 1 n. 1°, ut, servatis ceteris de iure servandis, alienae dioecesi in regionibus transmarinis incardinentur.

2° Eadem licentia religiosi quoque indigent, nisi aga-

tur de iis qui a Superioribus ad alias religionis suae domus mittantur; pariterque exclaustrati durante exclaustrationis tempore; necnon seacularizati ab Episcopo benevolo, sive pure et simpliciter sive pro experimento, recepti.

§ 3. Haec autem licentia, firmis ceteris legibus in decreto *Magni semper negotii* [1] statutis, ne concedatur nisi certo constet:

1° de bono oratoris vitae testimonio;

2° de iusta et rationabili migrandi causa;

3° de consensu tum Episcopi *a quo* discedit, aut Superioris si agatur de religiosis, tum Episcopi *ad quem* accedit;

4° de habito Sacrae Congregationis Concilii indulto si agatur de parochis, quoties absentia ultra duos menses protrahi debeat.

§ 4. Sacerdotes sive saeculares sive religiosi qui, obtenta licentia migrandi in aliquam regionem transmarinam, de una in alteram dicionem etiam eiusdem regionis demigrare desiderent, nova indigent licentia.

§ 5. Sacerdotes qui, his legibus non servatis, temere arroganterque demigraverint, incident in poenas eodem decreto *Magni semper negotii* latas [2].

4. Una Sacra Congregatio Consistorialis apostolicum indultum concedere valebit, ad normam canonis 216 § 4 C. I. C., ut paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis in commodum emigrantium constitui possint.

---

1 S. C. CONSISTORIALIS, Decretum de clericis in certas quasdam regiones demigrantes, *Magni semper negotii*, 30 Decembris 1918, *A. A. S.*, XI, pp. 39-43.

2 *L. c.* III, 16, *A. A. S.*, XI, p. 43: « Sacerdotes qui, his legibus non servatis, temere arroganterque demigraverint, suspensi a divinis ipso facto maneant: qui nihilominus sacris (quod Deus avertat) operari audeant, in irregularitatem incidant: a quibus poenis absolvi non possint nisi a Sacra hac Congregatione ».

5. - § 1. Sacrae pariter Consistorialis Congregationis est:

1° Adprobare, constito prius de oratoris vita, moribus ac idoneitate necnon de praestito ab Ordinario consensu, sacerdotes, sive saeculares sive regulares, qui incumbere cupiant in spiritualem curam emigrantium propriae nationis seu sermonis atque eorum qui iter maritimum arripiant aut in navibus quavis ratione versentur aut iisdem quoquo modo addicantur; illosque per peculiare rescriptum Missionarios emigrantium vel Cappellanos navigantium nominare, destinare, transferre, eorum a munere renuntiationem acceptare et, si casus ferat, destituere;

2° Eligere ac constituere, in qualibet natione, Moderatores seu Directores missionariorum emigrantium eiusdem nationis seu sermonis;

3° Eligere ac constituere Moderatores seu Directores cappellanorum navigantium;

4° Eos omnes moderari eisdemque invigilare, sive per locorum Ordinarios, sive per Delegatum ad opera de emigratione, sive per alios viros ecclesiasticos huic muneri deputandos.

§ 2. 1° Concessio rescripti, de quo in § 1 n. 1°, cum utroque Ordinario, *a quo* et *ad quem*, erit communicanda;

2° Moderatores seu Directores designatos Sacra Congregatio Consistorialis Episcopis nationis seu dicionis ad quam mittuntur cito significabit.

6. - § 1. Nostra autem auctoritate adprobantes peculiares coetus seu commissiones episcopales, pro spirituali emigrantium adsistentia pluribus in Europae et Americae dicionibus constitutos, initumque hoc provide consilium et in aliis regionibus haberi cupientes, statuimus ut sacerdotes, qui, a Praesulibus designati, in huiusmodi coetibus a secretis munere perfunguntur, nomine Directoris operum de emigratione pro sua quisque natione, a Sacra Consistoriali Congregatione augeri queant.

§ 2. Ubi vero huiusmodi coetus nondum sint constituti, a Sacra Congregatione Consistoriali Director eligi poterit inter dicionis presbyteros ab Episcopis praesentatos.

7. - § 1. Quo vero opera pro emigrantibus navanda facilior evadat, praesentibus Litteris erigimus et instituimus apud praedictam Nostram Sacram Consistorialem Congregationem Summum Consilium de emigratione.

§ 2. Huiusmodi Consilio praesidebit Adsessor ipsius S. Congregationis et secretarius aderit Delegatus ad opera de emigratione.

§ 3. In idem Consilium adsciscì poterunt:

1° Sacerdotes illi qui, in sua natione seu dicione vel munere funguntur secretarii memoratae episcopalis commissionis pro spirituali advenarum adsistentia vel de Praesulum mandato in huiusmodi adsistentiam incumbunt;

2° Sacerdotes illi Romae degentes, sive saeculares sive regulares, qui rerum istarum peritia animarumque studio praestare videantur.

8. - § 1. Apud eandem Sacram Consistorialem Congregationem institutum volumus alterum coetum, seu Secretariatum Generalem Internationalem, ad moderandum Opus Apostolatus maris, cuius est potissimum sive spirituale sive morale commodum fovere maritimorum, eorum nempe qui gubernandi aut inserviendi gratia naves conscendant, vel portibus addicantur maritima itinera adparaturi.

§ 2. Huius Secretariatus moderamen, uti praeses, geret Adsessor Sacrae Consistorialis Congregationis, Delegatus vero ad opera de emigratione secretarii munere fungetur.

§ 3. In Secretariatum autem cooptari poterunt:

1° Viri illi ecclesiastici qui in unaquaque dicione seu natione Directores huiusmodi operi ab Episcopis praeficiuntur;

2° Ceteri sacerdotes qui, de eodem opere provehendo bene meriti, digno laudis testimonio sint cohonestandi.

CAPUT II

De Delegato ad opera de emigratione

9. - Apud Sacram Consistorialem Congregationem instituimus Officium Delegati ad opera de emigratione.

10. - § 1. Proprium Delegati est curare et fovere, iis omnibus auxiliis quae aptiora videantur, bonum, praesertim spirituale, fidelium emigrantium cuiusvis sermonis, stirpis, nationis, ac, servatis servandis, ritus; initis ad hoc, si casus ferat, rationibus sive cum Nostra Secretaria Status, sive cum civilibus magistratibus et institutionibus.

§ 2. Hunc in finem Delegatus, nomine et de mandato Sacrae Congregationis Consistorialis opera et consilio favebit et adsistet omnibus consociationibus, institutionibus et operibus catholicis, sive internationalibus sive nationálibus, necnon — salvo iure Ordinariorum — dioecesanis et paroecialibus, quae idem prosequi intendant.

11. - § 1. Delegatus praeest missionariis emigrantium et cappellanis navigantium sive saecularibus sive regularibus eorumque Directoribus.

§ 2. Eosdem, de mandato Sacrae Congregationis Consistorialis, moderabitur, illis invigilabit et de iisdem referre non omittet.

12. - Delegati erit, praeterea, quaerere et praesentare Sacrae Congregationi Consistoriali sacerdotes, qui sese dedere cupiant spirituali curae emigrantium vel emigratorum, necnon eorum, qui inter maritimum arripiant vel quavis de causa in navibus versentur aut iis addicantur.

13. - § 1. Sacerdotes, ad hoc munus adprobatos et per rescriptum Sacrae Congregationis Consistorialis nominatos missionarios emigrantium vel cappellanos navigantium, Delegatus ad missionem vel ad navem mittet.

§ 2. Hos autem Delegatus auxilio, quo indigent, sive directe et immediate per semetipsum, sive indirecte et per interpositos ecclesiasticos viros, potissimumque per Directores, sedulo iuvabit.

14. - Delegatus certiores faciet Ordinarios locorum et Directores de emigrantibus mox adventuris.

15. - Delegatus provehere et moderari studebit ea omnia quae diei annuatim pro emigrantibus celebrandae incrementum conferre videantur.

16. - In fine cuiuslibet anni, de statu materiali et spirituali missionum et de observantia ecclesiasticae disciplinae ex parte missionariorum emigrantium et cappellanorum navigantium, Delegatus relationem conficiet et Sacrae Congregationi Consistoriali exhibebit.

17. - § 1. Abolemus igitur et supprimimus ac hisce Apostolicis Litteris abolitum et suppressum declaramus Officium Praelati pro Italis emigrantibus [3].

§ 2. Pariter a suo munere omnino cessasse declaramus Visitatores vel Delegatos cuiuslibet sermonis seu nationis, in bonum spirituale fidelium in Europae vel Americae regiones demigratorum vel profugorum, antea constitutos.

CAPUT III

De Directoribus, de missionariis emigrantium et de cappellanis navigantium

18. - § 1. Missionarii emigrantium et cappellani navigantium eorumque Directores suo munere funguntur sub moderamine Sacrae Congregationis Consistorialis eiusque Delegati ad opera de emigratione.

§ 2. Munus missionarii emigrantium et cappellani navigantium officiumque Directoris excardinationem non

---

[3] S. C. CONSISTORIALIS, Notificazione circa la costituzione di un Prelato per l'emigrazione italiana, *Esistono in Italia*, 23 ott. 1920. *A. A. S.*, XXI, pp. 534-535.

parit nullamque dat exemptionem sive a proprio Ordinario aut Superiore regulari sive ab Ordinario loci in quo missionarium et cappellanum versari contingat.

19. - Directores missionariorum emigrantium et cappellanorum navigantium nullam iurisdictionem sive territorialem sive personalem, vi muneris, exceptis tamen iis quae infra recensentur, exercere valebunt.

20. - Ius et officium Directoris est potissimum:

1° Rationes inire cum Episcopis nationis seu dicionis in qua missionarii stabiliter commorantur de iis omnibus, quae bonum spirituale immigratorum suae nationis seu sermonis respiciant.

2° Missionarios aut cappellanos, salvo Ordinariorum iure, moderari.

21. - § 1. Debet igitur Director inquirere:

1° Num missionarii aut cappellani vitam ducant ad normam sacrorum canonum suisque officiis diligenter satisfaciant;

2° Num iidem decreta a Sacra Congregatione Consistoriali et ab Ordinario loci lata rite exsequantur;

3° Num decor et nitor ecclesiarum vel cappellarum vel oratoriorum et sacrae supellectilis, maxime in custodia Sanctissimi Sacramenti et in Missae celebratione, accurate serventur;

4° Num sacrae functiones secundum praescripta legum liturgicarum et decretorum Sacrae Rituum Congregationis celebrentur; bona ecclesiastica diligenter administrentur adnexaque illis onera, in primis Missarum, rite impleantur; recte conscribantur et asserventur libri paroeciales, de quibus sub n. 25 § 3 et n. 35 § 2.

§ 2. De iis omnibus ut certior reddatur, Director debet missiones aut naves frequenter visitare.

§ 3. Pertinet etiam ad Directorem, statim ac resciverit aliquem missionarium vel cappellanum graviter aegrotare, operam conferre ne spiritualibus ac materialibus auxiliis, honestoque funere si quis decesserit, careat;

et curare ne, eo aegrotante vel decedente, libri, documenta, sacra supellex aliaque ad missionem pertinentia depereant aut asportentur.

22. - Director ob iustas causas a Sacra Congregatione Consistoriali adprobandas, universos missionarios aut cappellanos, sicubi liceat, convocare poterit, praesertim ut una simul exercitiis spiritualibus iidem vacare queant vel collationibus interesse de aptioribus ministerii sui rationibus ineundis.

23. - Semel saltem in anno rationem missionariorum aut cappellanorum necnon status missionum Sacrae Congregationi Consistoriali Director fideliter reddat; exponatque non solum quae intra annum bene gesta sint, sed etiam quae mala obrepserint, quae remedia ad ea reparanda sint adhibita et quidquid agendum videatur ad incrementum missionum fovendum.

24. - Missionarii emigrantium in curam spiritualem fidelium sui sermonis seu nationis incumbunt sub iurisdictione Ordinarii loci iuxta normas quae infra in capite IV proponuntur.

25. - § 1. Proprium est cappellanorum navigantium, itinere maritimo perdurante, curam animarum gerere, excepta re matrimoniali, eorum, qui quavis de causa in navi versentur.

§ 2. Cappellani, firmo praescripto can. 883 C. I. C., peculiaribus normis ac facultatibus a Sacra Congregatione Consistoriali instruentur.

§ 3. Conficere tenentur insuper libros baptizatorum, confirmatorum, et mortuorum, quorum exemplar, una cum relatione de rebus gestis, in fine cuiuslibet maritimi itineris suo Directori exhibebunt.

26. - Si in navi oratorium legitime exstet, cappellani navigantium, congrua congruis referendo, rectoribus ecclesiarum aequiparantur.

27. - § 1. Cappellani possunt officia divina etiam solemnia in navis oratorio celebrare sartis tectisque legibus

canonicis et liturgicis et cauto ut eadem horis navigantibus commodioribus absolvantur.

§ 2. Iidem:

1° Dies festos navigantibus denuntient;

2° Catecheticam institutionem, praesertim adolescentibus, et Evangelii explanationem tradant.

28. - Cappellani navigantium advigilent:

1° Ut in oratorio divina officia ad sacrorum canonum praescripta ordinate celebrentur et sacerdotibus Missam celebrantibus, quovis amoto periculo effusionis sacrarum Specierum e calice, alter sacerdos, si adsit, superpelliceo indutus adsistat;

2° Ut sacrae suppellectilis conservationi et eiusdem oratorii decori prospiciatur;

3° Ne quidpiam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domui Dei tribuendae quoquo modo repugnet, neve oratorium aut altare aut sacra paramenta sectis acatholicis inserviant.

29. - § 1. Sine cappellani licentia, saltem praesumpta, nemini licet in oratorio navium Missam celebrare, sacramenta administrare, conciones habere aliasve functiones sacras peragere.

§ 2. Haec vero licentia dari vel negari debet ad normam iuris communis.

30. - Ius erigendi et benedicendi oratorium in navi spectat ad Ordinarium loci cuius territorio adhaeret portus in quo navis habitualiter consistit.

31. - Missionariis et cappellanis permittitur, de consensu Directoris, et insuper Superioris si agatur de religiosis, per unum mensem intra annum a missione aut a navi abesse, dummodo emigrantium aut navigantium necessitatibus sit provisum per sacerdotem Sacrae Congregationis Consistorialis idoneo rescripto instructum; idem permittitur Directoribus de licentia Sacrae Congregationis Consistorialis, necnon de consensu Superioris si agatur de religiosis, dummodo sui loco reponere valeant substitutum ab eadem Sacra Congregatione adprobandum.

CAPUT IV

De cura animarum ab Ordinariis locorum in alienigenas exercenda

32. - Quod autem peculiariter spectat ad curam animarum pro alienigenis quibuslibet, sive advenis sive peregrinis, ab Ordinariis locorum gerendam, quotiescumque, ob unam alteramve causam, minime expedire videbitur ad Sacram Congregationem Consistorialem recursus ad obtinendum indultum erectionis paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis, statuimus ut in posterum locorum Ordinarii haec quae sequuntur praecepta servanda sedulo curent.

33. - Quilibet loci Ordinarius spiritualem alienigenarum seu immigratorum curam committere enixe contendat sacerdotibus, sive saecularibus sive regularibus, eiusdem sermonis seu nationis, nempe missionariis commigrantium, peculiari Sacrae Congregationis Consistorialis mandato, ut supra, praeditis.

34. - Quilibet pariter loci Ordinarius enitatur concedere iisdem missionariis emigrantium potestatem exercendi curam animarum in fideles advenas seu peregrinos eiusdem sermonis seu nationis, audita Sacra Congregatione Consistoriali ceterisque servatis de iure servandis.

35. - § 1. Missionarius emigrantium huiusmodi potestate praeditus, in gerenda cura animarum aequiparatur parocho; et ideo iisdem facultatibus in bonum animarum potitur ac oneribus adstringitur, congrua tamen congruis referendo, quibus parochi fruuntur ac tenentur ad normam iuris communis.

§ 2. Idem proinde, prae ceteris, paroeciales habeat libros de quibus in can. 470 C. I. C., quorum authenticum exemplar in fine cuiuslibet anni ad parochum loci et ad suum Directorem transmittet.

36. - § 1. Huiusmodi paroecialis potestas est personalis, in alienigenarum seu immigratorum personas dumtaxat exercenda.

§ 2. Eadem aequo iure cum potestate parochi loci est cumulata, etiamsi exerceatur in ecclesia seu cappella vel oratorio publico aut semipublico, missionario emigrantium concreditis.

37. - § 1. Ad exercitium sacri ministerii unicuique missionario emigrantium aliqua ecclesia seu cappella vel oratorium publicum aut semipublicum, quatenus fieri poterit, adsignetur.

§ 2. Secus loci Ordinarius normas constituat quibus eidem missionario emigrantium fas sit, libere et plene, suo muneri satisfacere in alia ecclesia, paroeciali non excepta.

38. - Missionarii emigrantium, durante munere, plene subiacent iurisdictioni Ordinarii loci, tum quoad exercitium sacri ministerii, tum quoad disciplinam, secluso quovis exemptionis privilegio.

39. - Unusquisque alienigena, sive advena sive peregrinus, plena potitur facultate adeundi, sacramentorum causa, matrimonio non excepto, missionarium emigrantium sui sermonis aut parochum loci.

40. - Advenarum seu peregrinorum nomine, ad effectum de quo agitur, veniunt:

1° Omnes alienigenae — non exceptis iis qui ex coloniis migrarunt — per quodcumque temporis spatium, quavis de causa, studiorum quoque, in alieno territorio versantes;

2° Eorum descendentes in primo gradu lineae rectae, etiamsi nationalitatis iura acquisierint.

CAPUT V

De spirituali adsistentia ab Episcopis Italiae praestanda emigrantibus

41. - Quum haec Apostolica Sedes prae aliis maxime consueverit vigilare pro Italis, quorum frequentior quam ceterorum migratio est [4], praesentibus Apostolicis Litteris confirmamus et compertae Nobis Episcoporum Italorum navitati ex corde commendatas cupimus peculiares illas normas quas Decessores Nostri ediderunt de Italis ad externa peregre emigrantibus; hancque nacti occasionem, praefatos locorum Ordinarios vehementer hortamur ut vota Nostra adimplere satagant.

42. - Prae oculis habeant, tanquam canonem suscipiendi ac perficiendi laboris, verba illa quibus Beatus Pius X comitatus et patronatus, sic commendabat : « ... per Italiam comitatus, quos vocant, et patronatus, emigrantium causa, bene multi extiterunt, aliaque id genus ab Episcopis, aliisque de Clero, atque ab ipsis laicis, viris egregie munificis, christianaeque sapientiae perstudiosis, instituta » [5].

43. - Curent igitur Ordinarii ut, ipsis auctoribus ipsisque rectoribus, cooperantibus autem sodalibus Actionis Catholicae, ceterorumque catholicorum coetuum pro religiosa, morali et sociali artificibus et operariis adsistentia, comitatus de emigratione et subcomitatus instituantur, idque praesertim in dioecesibus unde frequentior habeatur emigrantium exodus.

44. - Pariter vigilent, qua decet alacritate, ut sic instituta de emigratione consilia, demandata munera rite adimpleant, quodque expetitur, animarum nempe salutem, consequi contendant.

---

[4] B. Pius X, Motu proprio, De Italis ad externa emigrantibus, *Iam pridem*, 19 Martii 1914, *A. A. S.*, VI, pp. 173-176.

[5] L. c. p. 174.

45. - § 1. Ne omiserint Ordinarii locorum commendare parochis, ut has sui ministerii partes sueta diligentia obeuntes, praecavendos curent fideles contra spiritualia pericula quae usque a primo de domo, de familia, de patria discessu, instare solent.

§ 2. Hunc in finem parochi congruentem catecheticam institutionem fidelibus mox demigraturis sedulo tradant.

46. - Ordinarios pariter ne pigeat exhortari parochos, ut fideles suos demigratos pastorali sollicitudine prosequi usque pergant.

47. - Religiose serventur ea quae a Sacra Consistoriali Congregatione praecipiuntur: « Italiae Ordinarii praesertim opera parochorum sive patronatum qui de emigrantibus curam habent, satagant ut peregrini seu emigrantes muniantur, antequam discedant, tessera ecclesiastica » [6].

48. - Enitantur pro viribus, iisque adhibitis rationibus quae utiliores videantur, ut prospere feliciterque cedant tum dies pro Italis emigrantibus annuatim celebranda, tum stipis collectio pro spirituali emigrantium adsistentia, Sacrae deinde Consistoriali Congregationi tradendae [7].

49. - § 1. Gratulantes Ordinariis illarum dioecesium extra Italiae fines, sive in Europa sive in regionibus transmarinis exstantium, qui nationalibus vel dioecesanis operibus et consiliis vel comitatibus enituntur ut praesto sint adiumenta spiritualia et moralia universis alienigenis, quos etsi hospites ut sui gregis fideles amplexati sunt, ab iis expetimus, ut in paroeciis ubi cuncti vel plerique sint fideles qui ad Italam gentem pertineant,

---

[6] S. C. Consistorialis, Communicatio, 26 Ianuarii 1923, *A. A. S.*, XV, pp. 112-113.

[7] S. C. Consistorialis, Litterae circulares ad R.mos Ordinarios Italiae ,de spirituali emigrantium cura, 6 Decembris 1914, *A. A. S.*, VI, p. 699 s.

diem pro Italis emigrantibus iuxta normas pro Italis Ordinariis n. 8 statutas, annuatim celebrent pecuniamque collecticiam ad Sacram Congregationem Consistorialem ad fovenda opera pro Italis demigrantibus remittendam curent [8].

§ 2. Quod, congrua congruis referendo, pariter fieri poterit pro emigrantibus aliarum nationum seu sermonum ita ut uno eodemque tempore, nempe Dominica prima Adventus, dies pro emigrantibus in toto catholico Orbe celebrari queat.

50. - Velint tandem Italiae Ordinarii parochos opportune urgere ut unam Missam per annum ad mentem Summi Pontificis potius quam pro populo applicent; eosque exhortari ut assidue libenterque hanc commutationem peragant in bonum Italorum emigrantium cessuram.

CAPUT VI

De Pontificio Collegio Sacerdotum pro Italis ad externa emigrantibus

51. - Collegium Nostrum Sacerdotum pro Italis ad externa emigrantibus institutum [9] recognoscimus et confirmamus.

52. - § 1. Idem Collegium permanere volumus — cauta tamen iurisdictione Cardinalis in Urbe Vicarii — sub dependentia Sacrae Congregations Consistorialis.

§ 2. Sacrae ipsius Congregationis Consistorialis erit:

1° Collegium moderari eique vigilare sive quoad

---

[8] S. C. CONSISTORIALIS, Litterae ad R.mos Americae Ordinarios, 22 Februarii 1915.

[9] B. PIUS X, Motu proprio, De Italis ad externa emigrantibus, *Iam pridem*, 19 Martii 1914, *A. A. S.*, VI, p. 173 ss.; S. C. CONSISTORIALIS, De Pontificio Collegio Sacerdotum pro Italis ad externa emigrantibus, Notificatio, *Sacerdotum Collegium*, 26 Maii 1921, *A. A. S.*, XIII, p. 309 ss.

observantiam disciplinae sive quoad rem familiarem et administrationem bonorum temporalium;

2° Eidem leges dare;

3° Rectorem ceterosque Officiales eligere.

53. - Quum peculiaris Collegii finis, praeparare scilicet iuniores Italos sacerdotes e clero saeculari ad Italos in peregrinas regiones migrantes honeste et religiose excolendos et iuvandos [10], undequaque cohaereat cum fine Piae Societatis Missionariorum a Sancto Carolo pro Italis emigratis, indulgemus ut Rector ceterique moderatores et magistri seligantur inter sacerdotes eiusdem Piae Societatis, cui proinde Collegium ipsum ad beneplacitum Nostrum libenter concredimus, firmis tamen quae sub numero praecedenti statuuntur.

54. - Praecipimus insuper ut in posterum nulli sacerdoti committatur spiritualis cura fidelium Italorum emigrantium quin per congruens temporis spatium in praefato Collegio apte sit institutus et animi mentisque virtutibus, doctrina, sermonum peritia, prospera valetudine aliisque dotibus tanto muneri par agnitus fuerit.

55. - Meminerint Episcopi, praesertim illarum dioecesium unde plures emigrantes discedunt, rem religioni valde profuturam Nobisque pergratam se facturos si iuvenes sacerdotes, virtute studioque animarum praestantes, qui sese totos operibus pro emigrantibus dedere cupiant, ad praefatum Collegium mittere non renuent.

56. - In ceteris, tandem, emigrationis extra Italiam locis seu nationibus, ubi conveniens forte desit emigrantibus catholicis illius nationis spiritualis adsistentia, utiliter procul dubio consulere valebunt Ordinarii si, pro peculiaribus locorum rerumque adiunctis, relatam pro Italis demigrantibus agendi rationem, diserte in Romanorum Pontificum actibus evulgatam Nobisque in praesens probatam, sollicite inibunt.

---

[10] S. C. Consistorialis, *Collegio de' Sacerdoti per gli emigranti Italiani, Regolamento generale,* 24 Giugno 1914.

Haec, igitur, tota rei causa graviter considerata atque etiam Decessorum Nostrorum exemplis permoti, praehabita sententia venerabilis Fratris Nostri Adeodati Ioannis S. R. E. Cardinalis Piazza, Episcopi Sabinensis et Mandelensis, Sacrae Congregationis Consistorialis a Secretis, statuimus et praescribimus, decernentes praesentes has Litteras et in eis contenta quaevis, etiam ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes, vel habere praetendentes quomodolibet illis non consenserint, nec ad ea vocati auditi fuerint, aut ex quibusvis aliis causis, impugnari minime posse, sed easdem semper ac perpetuo firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et pro tempore spectabit suffragari, et ab eis respective et inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane si secus super his a quolibet, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, per Romanos Pontifices Praedecessores Nostros editis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ut supra, ceterisque etiam individua ac specialissima mentione et derogatione dignis, contrariis quibuslibet.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, abrogationis, mandati, innodationis, admonitionis, inhibitionis, praecepti, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi, apud Romam, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo secundo, die prima mensis Augusti, in festo S. Petri Apostoli ad Vincula, Pontificatus Nostri anno quartodecimo.

PIUS PP. XII

Adnotationes

Haec Constitutio « Exsul Familia » in parte sua dispositiva ex integro ordinat et in unum digerit normas quae ad bonum praesertim spirituale emigrantium erunt in posterum servandae.

Confirmat haud pauca quae hac in re vigebant, immutat nonnulla et plura addit quibus Summus Pontifex, supremus Ecclesiae legislator, nihil aliud contendit quam paternalem curam eorum qui tum stricto tum lato quodam sensu vocari possunt emigrantes praesentibus temporum et locorum exigentiis aptare et urgenti necessitati, quoad fieri potest, satisfacere [1].

I. Cum, aliis rationibus missis, maxima emigrantium pars ad Ritum latinum pertineant Constitutio fere exclusive ad fideles emigrantes latini Ritus ordinatur atque omnem in ordinata vel in posterum ordinanda competentiam uni S. C. Consistoriali tribuit.

Ut haec S. Congregatio spiritualem praesertim adsistentiam emigrantibus rite praebere valeat, instituentur in ea et Supremum Consilium de Emigratione (norm. 7

---

[1] Praecipua Sanctae Sedis documenta quae prasens Constitutio recognoscit, confirmat aut immutat quod ad sacerdotes migrantes attinet sunt: Dec. S. C. Consistorialis 7 sept. 1909 « De clericis in Americam et ad Insulas Philippinas profecturis » quod promulgat modificata litteras eiusdem Congregationis 17 iul. 1890 « Non sine magno » et dec. 14 nov. 1903 « Clericos peregrinos ». A. A. S., vol. I pp. 692 ... Epistulae circulares S. C. de Propaganda Fide pro negotiis Ritus orientalis l. ian. 1912 « Sacrae huic ». A. A. S., vol. IV pp. 532 ... Dec. S. C. Consistorialis 25 mart. 1914 « Ethnographica Studia » A. A. S., vol. VI pp. 182 ... Dec. S. C. Consistorialis 30 dec. 1918 « Magni semper negotii » A. A. S., X vol. XI pp. 39 ... Dec. S. C. pro Ecclesia Orientali 23 dec. 1929 « Qua sollerti allacritate ». A. A. S., vol. XXII pp. 29 ... Dec. eiusdem Congregationis 7 ian. 1930. « Non raro accidit » A. A. S., vol. XXII pp. 106 ... et Dec. S. C. de Propaganda Fide oct. 1948 « Ad tuendam disciplinam » A. A. S., vol. XLI pp. 34 ...

& 1) et Secretariatus Generalis Internationalis Operis Apostolatus Maris.

Huius erit fovere morale et spirituale bonum maritimorum, nempe: eorum omnium qui vel gubernandi, vel inserviendi causa naves conscendunt, vel in portibus addicuntur itineribus maritimis parandis (norm. 8 & 1).

Uterque coetus S. C. Consistorialis eundem praesidem habebit, eum scilicet qui in eadem Congregatione munere Adsessoris actu fungatur. Utrique aderit idem Secretarius, is nempe qui novo Delegati Officio ad opera de emigratione nominabitur (norm. 7 et 8 & 2).

Tam Supremum Consilium de Emigratione quam Secretariatus Internationalis Operis Apostolatus Maris peculiares pro uniuscuiusque fine consiliarios habebit tum Romae tum extra Urbem degentes quos inter numerari poterunt Directores missionariorum emigrantium et Directores operis Apostolatus Maris (norm 7 et 8 &3).

II. Pro immediata cura spirituali emigratorum ne accidat — quoad fieri possit — ut in locis ubi ii versentur adsistentiam habeant ea minorem qua ceteri fideles in sua dioecesi perfruuntur, Constitutio missionarios emigrantium constituit.

Nomine missionariorum emigrantium veniunt sacerdotes sive saeculares sive religiosi qui in spirituale bonum emigrantium propriae nationis aut sermonis intendere cupiunt et per peculiare S. C. Consistorialis rescriptum tales sunt nominati (norm. 5 & 1).

Delegatus ad opera de emigratione eos quaerit, Congregationi Consistoriali praesentat, (norm 12); quos a Congregatione — postquam constiterit de eorum vita, moribus et de praestito ab eorum Ordinario consensu — fuerint adprobati et nominati moderatur; ad missionem mittit illisque invigilat (norm. 13).

Emigrantium missionarii nominati curae spirituali incumbent emigrantium suae nationis vel linguae tantum

sub iurisdictione Ordinarii loci in quo missio invenitur (norm. 24).

Facultates quos ii habebunt in suae nationis alieniginas reipsa erunt plus minus extensae prout loci Ordinarius eis contulerit.

Ad normas tamen 33 et 34 quilibet loci Ordinarius enitetur eis concedere plenam curam animarum. Quod si fecerit missionarii emigrantium in cura eorum parocho aequiparantur; ideoque eisdem facultatibus et oneribus adstringentur quibus parochi — congrua congruis accomodando — et tenentur et fruuntur (norm. 35). Pro eis igitur valebunt praesertim ea quae cann. 460-470 referuntur. Potestas paroecialis missionarii in immigratos personalis erit et in eos exclusive gerenda; cumulativa tamen pro et cum parocho loci in quo oratorium vel ecclesia servitio emigrantium adsignata situm habet (norm. 37) [2]. Qua propter unusquisque alienigena seu emigrans pleno iure gaudebit sacramentorum causa *etiam ad contrahendum matrimonium* missionarium suae nationis vel sermonis aut loci parochum adire (norm. 39) [3].

---

[2] Constitutio nullo pacto dissuadet Ordinarios sive Americae, sive Europae v. g. sive cuiuslibet alius nationis in qua immigrati resideant paroecias vel paroeciam pro diversitate sermonis vel nationis immigratorum erigere. Quod si ut optabile est fiat indultum speciale ad eam constituendam de quo in can. 216 § 4, a S. C. Consistoriali debet obtineri (norm. 4). Parochus cui ea fuerit collata iuribus et obligationibus tenebitur quae vi Codicis parochis vel pure vel mixte personalibus competunt.

[3] Hac Constitutione missionarii emigrantium si animarum cura eis ab Ordinario loci in quo missio versatur data sit etiamsi nullam ecclesiam vel oratorium habeant, quod ad matrimonium refert. facultatibus gaudent parochi pure personalibus. Valide ergo adsistent matrimoniis emigrantium seu alienigenarum sui sermonis vel nationis tum cum inter se contrahunt tum quando cum non emigrato vel alienigena contrahant. Tamen vi facultàtum propiarum invalide adsisterent matrimonio duorum non emigrantium sui sermonis etiamsi propriam ecclesiam haberent et intra fines territorii in quo vel pro quo curam emigrantium habent. (Cfr. Regatillo. Ius Sacramentarium n. 1376.

Ad effectus de quibus agitur respectu potestatis missionariorum emigrantium in suos, nomine emigrantis, immigrati, advenae, peregrini et alienaigenae veniunt ii omnes qui nati sunt extra nationem in qua per quodlibet temporis spatium et ob quamcumque rationem versantur, etiamsi in eius coloniis, fuerint nati, et eorum descendentes in primo gradu lineae rectae etiamsi nationalitatis iura iam adquisierint (norm. 40).

III. Ut provideatur bono fidelium qui possent vocari maritimi itinerantes, eorum nempe qui itineris causa in navi versantur aut etiam navi ob quodcumque servitium aut gubernationem addicuntur, Constitutio capellanos navigantium instituit, qui. ut tales, in suo esse seu intitutione et agere a S. C. Consistoriali et Delegato ad opera emigrationis aeque pendent ac missionarii emigrantium (norm. 5 et 11-16).

Capellanarorum erit, itinere maritimo perdurante, curam animarum, excepta re matrimoniali, gerere eorum qui in navi quavis de causa inveniuntur (norm. 25 & 1). Poterunt igitur in navi baptizare, Eucharistiam conficere et administrare etiam per modum viatici, confessiones si ad normam can. 833 iurisdictionem habuerint audire[4].

Confiecere tenentur libros baptizatorum, confirmatorum et mortuorum Directori suo in fine intineris exhibendos (norm. 24 § 3).

Denuntiare etiam debent navigantibus dies festos, cathecheticam instructionem praesertim adolescentibus tradere et Evangelii explanationem facere (norm. 27 §).

Praeterea, si in navi oratorium legitime extet — be-

---

[4] Cappelani navigantium cum territorium in mari non habeant perdurante intinere et in mari confirmare tantum poterunt in gravi mortis periculo ex speciali Indulto eis concesso. Quod ad confessiones attinet ii, firmo praescripto can. 883 peculiaribus normis et facultatibus a S. C. Consist. instruentur.

nedictum nempe et erectum ab Ordinario loci portus in quo navis habitualiter sistit —, capellani navigantium aequiparantur Rectoribus Ecclesiarum et pro ipsis valent — congrua congruis referendo — canones C. I. C. 479-482, 484 et 485.

Inter ea quae cum oratorium in navi est erectum capellani advigilare debent ut sancta sancte tractentur id in primis est animadvertendum: ne oratorium aut paramenta sacra acatholicis sectis inserviant (norm. 28 § 3) [5].

Tandem munus capellani navigantium seu capellania navis nullam excardinationem parit nullamque confert exemptionem sive ab Ordinario proprio sive a Superiore regulari (norm. 18 & 2).

IV. Temporum adiuncta haud raro secumferunt ut etiam sacerdotes sua relinquere et patriam alienam quaerere teneantur. Constitutio pro eorum peculiari et totius Ecclesiae communi bono etiam — et quidem unice — per S. C. Consistorialem eis cavet, tum cum sacerdotes ad Ritum Latinum pertineant — salvis iuribus SS. CC. de Propaganda Fide et pro Ecclesia Orientali si ei iis Congregationibus subiciantur et in territoria eis non subiecta migrent —, tum sacerdotes Ritus Orientalis quoties in partes migrent S. C. pro Ecclesia Orientali non obnoxia (norm. 2 § 1,2, et 3).

Quod ad sacerdotes demigrantes attinet maximi momenti est norma 3 paragraphus 1ª.

Secundum eam, attenta norma 2, exceptis religiosis qui non sint actu exclaustrati aut saecularizati quique a Superioribus ad alias suae religionis domus mittantur, (§ 2, 2°); l. *a*) « Sacerdotes » Ritus latini Sacris Congregationibus pro Ecclesia Orientali aut de Propaganda Fide non

[5] Exinde patet quam longe distet Ecclesia ab approbando id quod alicubi post bellum, necessitate premente, factum est: sectam vel sectas acatholicas uti cum catholicis eadem ecclesia vel loco ad cultum destinato.

subiecti; *b*) sacerdotes Ritus latini his SS. Congregationibus subiecti cum in territoria migrari cupiunt eisdem Congregationibus non obnoxia; *c*) sacerdotes Ritus orientalis qui in territoria S. C. pro Ecclesia Orientali non subiecta migraverint ...

2. « Qui ex Europa vel Mediterraneis oris » id est ex Europa vel ex insulis vel provinciis quae Europeae censentur vel Europae partes dicuntur ...

3. « Ad exteras transmarinas regiones » nempe ad Americam sive septentrionalem, sive centralem, sive meridionalem, ad Philippinas Insulas, ad Australiam et Novam Zelandiam, vel etiam ut reor ad quamlibet partem ut puta Algeriam, Tunisiam etc. ad quam ex Europa per maritimum iter perveniri queat ... [6].

4. « per quodvis temporis spatium, sive breve sive longum sive indefinitum, aut in perpetuum » scilicet etiam infra trimestrem aut per brevissimum tempus ...

5. « migrare » : transmarinas regiones non meri itineris causa, sed ad quodlibet sacerdotalis ministerii opus vel etiam ad qualemcumque rem oeconomicam, moralem, etc. perficiendam petere ...

---

[6] Pro America et Ins. Phil., vide Dec. S. C. Consistorialis « Magni semper negotii » A. A. S., vol. XI pp. 39 ... Pro Australia et Nova Zelandia, vide Dec. S. C. de Propaganda Fide « Ad tuendam disciplinam » A. A. S., vol. XLI pp. 34 ... Pro Africae provinciis vel regionibus vide quae hac de re habet vetus disciplina.

Prae oculis habens nostram Constitutionem disciplinam super sacerdotum migratione integre ordinare et etiam prout necessitas postulaverit modificare, meam opinionem efformavi ex consideratione significationis obviae ipsorum verborum « Transmarinas exteras nationes » et ex fine circumstantiisque legis seu normarum Constitutionis. Quae sunt datae ut medium, pro posse, efficax sint quo in circumstantiis politicis, socialibus, religiosis, publicis et privatis modernis in quibus inauspicatum damnum tam animabus quam Ecclesiae facile causatur, sacerdotum migrationes ad exteras transmarinas regiones haud infelici exitu sed vero proventu tam pro ipsis sacerdotibus quam pro aliis contingant.

6. « desiderent », id est sibi qualibet de causa proponant aut constituant ... [7].

7. « licentiam proficiscendi ibique manendi, aut diutius commorandi »; nempe licentiam ad illas regiones veniendi, ibi per tempus in licentia expressum commorandi et diutius hoc tempore manendi ...

8. « Una Sacra Congregatio Consistorialis dare potest ».

Nuntii, Internuntii et Delegati Apostolici eandem licentiam, de qua supra, concedere poterunt sacerdotibus nationis apud quam legationem stabilem exercent dummodo huiusmodi facultas data eis et reservata sit. Nuntii Hispaniae et Portugalliae decreto S. C. Consistorialis d. 30 decembris 1918 « Magni semper » poterant loco C. Consistorialis sacerdotibus suae legationi subiectis litteras discessoriales pro America et Insulis Philippinis concedere. (A. A. S., vol. XI p. 39).

Consentaneum videtur fore ut Nuntii, Internuntii et Delegati Apostolici regionum vel nationum exterarum transmarinarum facultate gaudeant concedendi licentiam sacerdotibus qui gravi et urgenti de causa absque Congregationis licentia ibi appulerint aut ea licentia muniti ibi ultra tempus eis in licentia concessum permanere debeant, ut ibi, saltem per breve tempus, permanere aut diutius concesso tempore commorari possint.

Licentia proficiscendi, manendi et diutius commorandi etsi pro indefinita vel perpetua migratione fuerit obtenta nullam excardinationem aut incardinationem secumfert. Ut sacerdos qui a S. C. Consistoriali licentiam proficiscendi

[7] « Desiderent ». Cum igitur iusta et urgente causa alicui sacerdoti ex inopinato sit necesse regiones transmarinas petere, Ordinarius vi et ad normam can. 81 poterit ei licentiam proficiscendi concedere. Nisi in loco ad quem venit Nuntius vel Delegatus Apostolicus facultatem habuerit sibi reservatam concedendi migrantibus licentiam ibi manendi aut diutius commorandi, Ordinarius loci ad quem poterit etiam huic sacerdoti licentiam per tempus breve manendi scil. per tempus pro quo non est possibile ad S. C. Consistorialem pro licentia manendi vel diutius commorandi recurrere.

obtinere debuit in transmarinam dioecesim ad quam venit incardinari valeat requiritur expressa licentia eiusdem Sacrae Congregationis (norm. 3 § 2 1°).

Paragraphus quarta huius normae tertiae aequiparat, pro sacerdotibus sive saecularibus sive religiosis qui obtenta licentia S. Congregatione Consistoriali migrarunt, migrationem alteram priori migrationi. Id est: sacerdotes huiusmodi qui « de una in alteram dicionem » nempe ab alio statu vel ex alia natione in quam migraverunt ad alium statum seu aliam nationem etiam eiusdem transmarinae dicionis, seu ut dicitur *continentis*, demigrare cupiant, nova indigent licentia [8].

Sic v. g. sacerdotes saeculares vel religiosi qui de licentia Consistorialis ab Europa in Mexico venerint ut possint a Mexico ad Status Unitos Americae vel ad Canada migrare nova indigent S. C. Consistorialis licentia. Quam licentiam ad migrationem alteram requiri haud negamus etiamsi sacerdos qui licentiam migrandi ex Europa obtinuit in dioecesi extera transmarina sit incardinatus.

S. C. Consistorialis licentiam demigrandi non concedet nisi, inter alia, prius constiterit de consensu tum Episcopi, aut Superioris si agatur de religioso, a quo discedit tum Episcopi ad quem accedit et si sacerdos fuerit parochus, de habito Sacrae Congregationis Concilii indulto quoties absentia ultra duos menses protrahi debeat (n. 3 § 3 3° et 4°).

Sacerdotes qui non servatis normis a S. C. Consistoriali datis temere arroganterque demigrarint ipso facto manent suspensi a divinis; et qui non obstante hac suspensione sacris operari audeant ipso facto irregulares fiunt. Tam suspensio quam irregularitas huiusmodi ipsi S. C. Congregationi Consistoriali sunt reservatae.

MICHAEL FÁBREGAS S. I.

[8] Si placet, licentia quae a S. C. Consistoriali immediate vel mediate obtinebitur erit velut « passaporto » ecclesiastico sacerdotibus ex Europa ad exteras transmarinas partes demigrantibus.

8 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*A. A. S.* XXXXIV [1 iul. 1952] p. 468)

ALLOCUTIONES

I

AD DELEGATOS CONVENTUI NATIONALI ITALICO, ROMAE HABITO, SODALITATUM CARITATIS, VULGO « CONFERENZE DI SAN VINCENZO DE' PAOLI » NUNCUPATARUM *.

Grande conforto, tra tante ansie, arreca al Nostro cuore la vostra presenza, diletti figli e figlie delle Conferenze di San Vincenzo de'Paoli, riuniti in Congresso in questa alma Città; insieme con le folte schiere che operano per ogni dove nel multiforme campo della carità cristiana, voi rappresentate una sicura fulgida luce fra le tenebre che avvolgono il mondo di oggi, debitore del suo funesto disordine al senso pressochè estinto dell'amore e della fraternità.

Forze vive sono, in seno alla umana famiglia e alla Chiesa, le falangi della carità: vive, perchè feconde ed irresistibili, come l'amore che le ispira e come la Chiesa che le inquadra, la quale può dirsi, nel suo più alto e più vasto significato, la Chiesa della carità.

Ed invero a quale sereno osservatore del suo passato e del suo presente potrebbe sfuggire questo carattere distintivo di Lei, essendo Essa stessa frutto di quell'Amore, che è principio della creazione e della redenzione, come è il termine di ogni spirito creato nella eterna e beata comunicazione di Sè?

Fu sempre motivo di stupore allo studioso della storia della Chiesa, — e al credente conferma della sua divina origine — il fatto della prontezza della carità cri-

* Habita die 27 aprilis mensis a. 1952.

stiana nell'offrire in ogni tempo uomini ed opere a sollievo di ogni miseria. E la meraviglia si accresce, quando si considera come coloro che impressero la direzione all'immanente spirito della carità furono per lo più anime umili e semplici, le quali a loro volta incontrarono prontamente e sempre numerosi e fedeli seguaci. Anche oggi non vi è regione cattolica, ove non rifulga un nome che da sè solo canti un'epopea di cristiana carità. Ma chi può seguirne il cammino aperto dagli stessi Apostoli, ai primordi della Chiesa, con le collette da essi promosse, nelle agapi fraterne, ove sedevano, a fianco a fianco, il patrizio e lo schiavo, con la istituzione dei diaconi preposti all'amorevole assistenza dei pupilli e delle vedove? Senza dubbio, a questo lirismo della carità, sconosciuto al mondo prima di allora, e che faceva esclamare ai pagani « Ecco come si amano! » è principalmente dovuto il primo rapido espandersi dell'idea cristiana. Tutta la storia della Chiesa ne è attraversata come da un filo d'oro, che la rannoda a quel Cuore amoroso da cui è scaturita.

Carità sempre spontanea, come spontanea irrompe la primavera al rinnovarsi del tepore del sole — Cristo è il sole della sua Chiesa —, come spontaneo è ciò che è connaturale — e non ne è Cristo la linfa vitale? —; sempre aderente, quasi che una speciale mozione dello Spirito Santo renda acuto lo sguardo del cristiano a scoprire ogni miseria dovunque si nasconda, ed irrequieto il cuore, finchè ad ogni sorta di sventura non risponda un'opera ed un manipolo di fratelli intenti a sollevarla.

Così è nata e si è poi ingigantita la corrente benefica della carità, dando vita a quelle istituzioni, che sono ormai vanto di ogni civiltà, i cui nomi sono, per esempio, ospedali, orfanotrofi, Ordini per il riscatto degli schiavi, compagnie per i pellegrini, case per donne pericolanti, associazioni per visite e conforto ai prigionieri, e in tempi più recenti, lebbrosari, istituti per l'assistenza ai poveri vecchi, ai ciechi, ai sordomuti, agli emigranti, ai figli dei

carcerati, ai mutilatini, i quali tutti, insieme coi nomi dei loro fondatori ed associati, sono tra le più preziose gemme che adornano il Corpo mistico di Cristo.

Nel quadro di questa provvida aderenza ai tempi Noi vediamo il sorgere, l'affermarsi e il prosperare delle Conferenze di San Vincenzo de' Paoli, il cui nome risuona a vanto di tutta la Chiesa. Quale fu il primo pensiero che spinse gli otto studenti parigini a fondarle? Lo avete appreso dalle parole stesse di colui che a ragione ne fu detto l'anima: il grande apostolo laico del secolo XIX, Federico Ozanam. Nell'anno della sua morte, or sono quasi cento anni, egli così si esprimeva in Firenze: « Allorchè noi cattolici ci sforzavamo di ricordare ai fratelli sviati le meraviglie del Cristianesimo, essi ci dicevano: il Cristianesimo in altri tempi ha compiuto prodigi; ma oggi esso è morto. E infatti voi, che vi vantate di essere cattolici, che cosa fate? Dove sono le opere che dimostrano la vostra fede e dovrebbero indurci a rispettarla e ad ammetterla? » [1]. La medesima domanda, dovuta in verità a scarsa conoscenza della vita della Chiesa viene fatta talora anche da moderni pagani, come leggevamo alcuni anni or sono in una Rivista missionaria. Un professore giapponese avrebbe detto ad un missionario: « Sono pervenuto alla conclusione che la religione cattolica è l'unica vera. Tuttavia vi debbo dichiarare che voi cattolici non credete a ciò che dite e predicate ... perchè non lo mettete in pratica ». Allo scandalo infondato degli studenti parigini, come a quello egualmente miope dei critici moderni, risponde eloquentemente la fioritura della carità cattolica, e in particolare la fondazione delle Conferenze. « Fu allora che noi ci dicemmo — continua l'Ozanam —: All'opera! Soccorriamo il nostro prossimo, e mettiamo la nostra fede sotto la protezione della carità ». Così nacquero le vostre Conferenze, le quali, nonostante gli anni

[1] BAUDRILLART, *Frédéric Ozanam*, Paris 1912, p. 12-13.

trascorsi, conservano, come segno proprio delle opere volute da Dio, tutta la freschezza originaria, come se ad esse fosse stata comunicata la giovinezza, che non tramonta, dei suoi fondatori.

Perciò a voi, che siete venuti alla Nostra presenza per chiederCi una parola illuminatrice e confortatrice nella pratica della vostra vocazione, Noi diciamo semplicemente: proseguite senza tema di operare invano. Poichè siete stati chiamati da Dio a questo particolare lavoro nella sua vigna, nulla di meglio potreste fare per adempire in voi la divina volontà, per contribuire al trionfo della Chiesa, per cooperare alla salvezza delle anime.

Così vorremmo affidare tre brevi pensieri alla vostra meditazione, che rimangano come ricordo salutare di questa Udienza e sprone alla vostra operosità, nel modo stesso che fu motivo di rinnovato ardore ad Ozanam la visita da lui compiuta a questo colle Vaticano.

1 - Sicura è l'ascetica della carità

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 30 Iunii 1952.
Marinus Marani, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*

---

* Hoc Monitum commentatur P. F. X. Hürth in suo articulo huius fasciculi Periodica p. 251 « Inquisitio critica in moralitatem « amplexus reservati ».

14 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide

(*A. A. S.* XXXXIV [4 aug. 1952] p. 549)

INSTRUCTIO

DE APTO MODO PRO MISSIONIBUS STIPEM CORROGANDI

Plurimis abhinc annis, christiana plebs vehementiore in dies studio catholicae fidei inter infideles propagandae favet, non modo evangelii praecones sed etiam opes suppeditando.

Iuxta normas a Romanis Pontificibus praescriptas, quae in missionum provectum offeruntur, ea omnia tum per Pontificalia Opera a Propagatione Fidei, a S. Petro Apostolo pro indigena clero et a S. Infantia, tum per Collectam, Epiphaniae tempore pro Africae nigritis habendam, coadunantur.

Normae illae, ut Pii Papae XI, fel. rec., verbis utamur, quae in Motu Proprio « Romanorum Pontificum » scripta invenimus, « Catholicarum Missionum universitati, certa via et ratione, ex catholicae orbis collatione » consulunt « ita quidem ut et corrogatae apud omnes nationes ab omnibus, quotquot sunt, Ecclesiae filiis vel minutae stipes in unum acervum, universe Missionibus tuendis destinatum, colligantur, et haec pecunia omnis, potestati quidem arbitrioque commissa Nostro dumtaxat et Sacrae Congregationis Christiano Nomini Propagando, per delectos a Nobismetipsis viros, in omnes distribuatur Missiones, pro uniuscuiusque necessitate ».

Ad omnium christifidelium virium conspirationem in missionum emolumentum sollerter in patria evolvendam iuxta sacrorum praescripta canonum (cfr. can. 622, § 1-2; 691, § 3-5; 1341, § 1; 1503) et documenta Motu Proprio edita « Romanorum Pontificum » die 3 maii 1922; « Vix ad summi » die 24 iunii 1929; « Decessor Noster » die 24 iunii 1929 atque alia passim, Sacra haec Congregatio

de Propaganda Fide quasdam normas revocandas censuit in mentem omnium Directorum sive nationalium sive dioecesanorum, qui Pontificalibus praesunt Missionalibus Operibus, et tum Ordinum tum Congregationum religiosarum, necnon Societatum sine votis, quae brevitatis causa praesenti Instructione Institutorum Missionalium nomine veniunt; eaque statuit, ut eaedem normae ab omnibus supra memoratis adamussim observentur.

1. Institutis Missionalibus licet contionibus atque ephemeridibus necessitates suarum scholarum pro missionariis instituendis et missionum sibi commissarum fidelibus notas reddere ipsorumque fidelium liberalitatem adhortari. Ne tamen obliviscantur auditores et lectores suos monere de peculiari fine, quem Pontificalia Opera sibi praestituant, iisdem suadendo, ut praelaudatis Operibus nomina sua dent, praecipue Die Missionali recurrente.

2. Instituta Missionalia in omni cooperationis missionalis genere in patria promovendo Ordinarii loci permissionem per Directionem Dioecesanam pro missionibus obtineant atque ea nomina et species vitent, quae errores circa finem Institutis Missionalibus et Pontificalibus Operibus assignatum in mente fidelium gignere vel profectui eorumdem Pontificalium Operum graviter obstare queant.

3. Instituta Missionalia operam praestent, ut in Diem Missionalem apparandum et celebrandum libenter conspirent. Stipem autem omnem memorato die corrogatam, etiam in paroeciis et ecclesiis, curis religiosorum concreditis, ad competentem Directionem Dioecesanam remittant; atque ne felici eiusdem diei celebrationi quoquo modo officiant, ab omni quaestu omnique favoris pro suis missionibus captandi specie abstineant, saltem iam congruo tempore ante annua Diei Missionalis solemnia.

4. Directores Nationales invigilent, ne quis, fine, quem Opera Pontificalia Missionalia sibi proponunt, abu-

tens, pro missionibus generatim stipes colligat ad necessitates levandas, quae in territoriis, ab hac Sacra Congregatione de Propaganda Fide non dependentibus, inveniantur.

5. Directiones Nationales et Dioecesanae ita opera missionibus provehendis destinata atque inter christifideles diffundenda in ordinem redigant, ut omnes superfluos sumptus omniaque incepta, quae directe ad conatus pro missionibus consociandos non conferant, vitent.

6. Dies Missionalis iuxta normas a legitimis documentis statutas atque iuxta praescripta, quae singulae Directiones Nationales, in peculiaribus rerum adiunctis, aptiora censuerint, celebretur.

7. In scholis et in ephebeis et in cunctis id genus institutionibus, quae a religiosis et a sororibus reguntur, Moderatores et Moderatrices officii ducant alumnorum inter socios Pontificalium Operum Missionalium inscriptiones fovere atque singulari studio Diem Missionalem celebrare, pecunia, quae tum ex inscriptionibus tum ex oblationibus collecta fuerit, ad competentem Directionem Dioecesanam integre remissa.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 29 mensis iunii, in festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, anno Domini 1952.

P. Card. Fumasoni Biondi, *Praefectus*

L. ✠ S.

† C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis*

15 - Pontificia Commissio

AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

(*A. A. S.* XXXXIV [1 iul. 1952] p. 496)

RESONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. - DE DISPENSATIONE AB IMPEDIMENTIS MATRIMONIALIBUS

D. Utrum verba can. 1053 «*facta permissio transitus ad alias nuptias*» intelligi debeant dumtaxat de permissione facta a Sede Apostolica, an etiam de permissione facta ab Ordinario loci.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

II. - DE INTERPRETATIONE CAN. 598 § 2

D. I. An uxores Praesidum singulorum Statuum Foederatorum cum comitatu admitti possint intra regularium virorum clausuram ad normam can. 598 § 2.

R. Affirmative.

D. II. Utrum interpretatio data in responsione ad I sit declarativa an extensiva.

R. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

III. - DE AETATE CONFIRMANDORUM

D. An, attento can. 788, sustineatur mandatum Ordinarii loci vetantis quominus sacramentum Confirmationis administretur pueris qui aetatem decem annorum adepti non sint.

R. Negative.

IV. - DE LOCO ADSISTENDI MISSAE, LEGIS DE AUDIENDO SACRO IMPLENDAE CAUSA

D. An, non obstante praescripto can. 1249, legi de audiendo Sacro satisfaciat qui Missae adstiterit in loco de quo in can. 822 § 4.

R. Affirmative.

V. - DE INTERPRETATIONE CAN. 209

D. An praescriptum can. 209 applicandum sit in casu sacerdotis, qui, delegatione carens, matrimonio assistit.

R. Affirmative.

VI. - DE APPLICATIONE PRAESCRIPTORUM CAN. 197, 199, 206-209, POTESTATI DOMINATIVAE

D. An praescripta canonum 197, 199, 206-209, de potestate iurisdictionis, applicanda sint, nisi natura rei aut textus centextusve legis obstet, potestati dominativae quam habent Superiores et Capitula in Religionibus et in Societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis publicis.

R. Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 26 m. Martio a. 1952.

M. Card. MASSIMI, *Praeses*

L. ✠ S.

A. Coussa, B. A., *a Secretis*

De admissione religiosi in seminarium aut seminaristae in religionem

Roma, 12 Gennaio 1950.

Sacra Congregatio
de Seminariis
et Studiorum Universitatibus

Prot. Num. 2748/40/20

Ill.mo e Rev.mo Monsignore,

Rispondiamo alla Sua cortese richiesta in data 4 corrente mese, fornendoLe i chiarimenti desiderati dal Rev.mo Vicario Generale di Colonia intorno al decreto del 25 luglio 1941.

1° - Comprendiamo bene l'atteggiamento della Sacra Congregazione dei Religiosi, essendo il caso dei chierici che passano ad una vita più austera molto diverso, generalmente, da quello dei religiosi che lasciano la loro comunità per entrare tra il clero diocesano. Infatti il Codice di Diritto Canonico prevede sanzioni per il secondo caso, ma non per il primo.

2° - Questa Sacra Congregazione insiste sull'applicazione del decreto suddetto, per la parte che la riguarda (ingresso nei Seminari di ex-religiosi). Per rendere tuttavia più spedita e agevole la pratica (che in molti casi può anche essere una formalità, la quale non implica alcuna nota sfavorevole per il candidato) è preferibile che gli Ecc.mi Ordinari e le Rev.me Curie ci facciano pervenire, insieme alla supplica, la chiara documentazione dei precedenti dell'aspirante al Sacerdozio, con le testimoniali (originali o in copia conforme) dei Superiori Religiosi, e possibilmente, di altre personalità ecclesiastiche.

3° - Tra gli appartenenti « quocumque titulo » ad una famiglia religiosa continuiamo a includere anche gli alunni delle scuole claustrali destinate a formare le vo-

cazioni religiose (« scuole apostoliche »), e solo questi. Naturalmente, la pratica concernente un giovane candidato alla vita religiosa che non ha contratto nessun impegno canonico è di natura molto più blanda che per un religioso propriamente detto.

Preghiamo la S. V. di voler significare agli Ecc.mi Ordinari che Le chiedono informazioni in merito, che il motivo di tali disposizioni è molto serio. Talora i Superiori religiosi per togliersi da casa vocazioni scadenti, ne facilitano l'ingresso nel clero diocesano. Si possono così trovare nelle file del clero degli ex-religiosi che danno poca buona edificazione. Obbligando in coscienza i Superiori Religiosi a dire come realmente stanno le cose, i Superiori stessi daranno le informazioni senza reticenze e sarà più difficile che si introducano nel clero secolare vocazioni scadenti.

Con sensi di particolare stima ed ossequio, ben di cuore mi riaffermo

della S. V. Ill.ma e Rev.ma
dev.mo in G. C.
(sig.) G. Card. PIZZARDO

(*Versio latina*)

Illustrissime et Reverendissime Domine,

Respondemus officiosae interrogationi tuae, datae die 4 mensis currentis, praebendo tibi declarationes desideratas a Reverendissimo Vicario Generali Coloniensi circa decretum diei 25 iulii 1941.

1. - Perbene quidem intellegimus interpretationem S. Congregationis de Religiosis, quippe cum casus clericorum transeuntium ad vitam austeriorem generatim admodum differat ab altero casu religiosorum relinquentium communitatem suam, ut in dioecesanum ingrediantur clerum. Reapse Codex J. C. sanctiones statuit pro altero casu, sed non pro priore.

2. - Haec S. Congregatio urget praefatum decretum quod ad suam attinet provinciam, nempe quod ad ingressum ex-religiosorum in Seminaria. Ut nihilominus exsecutio expeditior et facilior reddatur (quae ceteroqui saepe etiam esse potest formalitas nullam notam candidato adversam comprehendens), Excellentissimi Ordinarii et Reverendissimae Curiae nobis exhibeant oportet una cum petitione documenta perspicua superioris vitae iuvenis aspirantis ad sacerdotium cum attestationibus (sive litteris autographis sive exemplaribus conformibus) Superiorum religiosorum et si fieri possit aliarum personarum ecclesiasticarum.

3. - Pergimus accensere iis, qui « quocumque titulo » ad familiam religiosam pertinuerint, etiam alumnos scholarum religiosarum ad formandas vocationes religiosas (« scholarum apostolicarum ») et hos tantum. Profecto ratio agendi cum iuvene candidato vitae religiosae, qui nullum contraxit vinculum canonicum, est utique longe benignior quam cum religioso proprie dicto.

Rogamus Dominationem tuam, ut Excellentissimis Ordinariis de hac re te percontantibus renuntiare velis causam talium dispositionum esse valde gravem. Quandoque Superiores religiosi, ut e domo religiosa ablegent vocationes deficientes, faciliorem reddunt earum ingressum in clerum dioecesanum. Sic fit ut inter clerum inveniri possint ex-religiosi, qui parum exemplo sint. Si Superiores religiosi in conscientia obligantur, ut sincere exponant veram rerum condicionem, ipsi Superiores dabunt litteras testimoniales, nihil reticendo, et difficilius penetrabunt in clerum saecularem vocationes deficientes.

Cum sensibus peculiaris venerationis et obsequii ex corde rursus me profiteor Dominationis tuae Illustrissimae et Reverendissimae

devotissimum in Jesu Christo

(sig.) G. Card. Pizzardo

All'Ill.mo e Rev.mo Signore
Mons. H. M. STOECKLE

Rettore del Collegio Teutonico in Campo Santo
CITTÀ DEL VATICANO

Jussu Em.mi Cardinalis Coloniensis hae litterae S. Congregationis de Seminariis communicatae sunt cunctis Rev.mis locorum Ordinariis Germaniae die 31 *ianuarii* 1950.

ANNOTATIONES

1. Sicut decretum diei 25 iulii 1941 [1] e duplici fonte manavit, nempe a S. Congregatione de Religiosis pro religionibus et a S. Congregatione de Seminariis et studiorum Universitatibus pro seminariis, ita etiam utraque S. Congregatio pro suis subditis id interpretata est. Summa decreti est haec: Antequam seminarista egressus e seminario admittatur in religionem, consulenda est S. Congregatio de Religiosis, et viceversa priusquam in seminarium admittatur, qui « quocumque titulo » ad religionem pertinuit, consulenda est S. Congregatio de Seminariis.

Ter in his Periodicis [2] actum est de interpretatione praefati decreti.

2. S. Congregatio de Seminariis in novissimis litteris diei 12 ianuarii 1950 fatetur transitum a seminario ad institutum religiosum benignius aestimari a S. Congregatione de Religiosis, sed transitui inverso a religione ad seminarium cum Codice I. C. minus favendum esse, quippe cum etiam canon 642 caveat, ne religiosus sacerdos egressus et in clerum saecularem cooptatus obtineat quaedam officia potiora, nisi ad id peculiare impetraverit indultum. Unde duplex genus interpretationis.

3. Num societates sine votis comprehendantur de-

1 Per XXXI, 1942, 73.
2 Per. XXXI, 1942, 74-81 et 242-246; XXXII, 1943, 172-174.

creto diei 25 iulii 1941? Distinguendum est: S. Congregatio de Seminariis eas comprehendit, S. Congregatio de Religiosis nequaquam. Quare alumni societatis sine votis egressi nequeunt admitti in seminarium sine recursu ad S. Congregationem de Seminariis, ut haec S. Congregatio die 8 martii 1945 [3] rescripsit. Econtra Em.mus Card. La Puma, Praefectus S. Congregationis de Religiosis in ampla interpretatione societates sine votis nullo modo isti decreto subicit [4]. Unde seminaristae egressi in eiusmodi societates admitti possunt, servato canone 544 § 3, sine recursu ad S. Congregationem de Religiosis.

4. Quinimmo etiam in religionem seminaristae, qui egressi sunt ad amplectendam vitam perfectionis religiosae, admitti possunt servato canone 544 § 3, sine recursu ad S. Congregationem de Religiosis, quemadmodum eadem S. Congregatio die 11 Maii 1942 [5] declaravit. Hinc sequitur ad eandem S. Congregationem recurrendum esse, si quis e seminario exiit, ut in statu laicali viveret, et serius, mutato consilio, religionem ingressurus est; eximitur enim is tantum, qui perfectioris vitae causa, seminarium relinquit et religionem ingreditur.

5. Interpretatione sat communi decreti diei 25 iulii 1941 eximebantur iuvenes, qui in scholis apostolicis educantur in spem religionis, quia censebantur nullo titulo ad religionem pertinere [6]. Ipse Card. La Puma distincte scripsit: « De eorum admissione in seminarium, si ex illis collegiis egressi fuerint, non est consulenda S. Congregatio de Seminariis et studiorum Universitatibus. Illi enim iuvenes ad religionem n u l l o titulo pertinent » [7].

Contrarium tamen statuit competens S. Congregatio

---

[3] REGATILLO, *Interpretatio et Iurisprudentia Codicis Iuris Canonici*, Santander 1949 n. 242.

[4] Commentarium pro Religiosis 1942, 232; Per. XXXII, 1943, 173.

[5] Per. XXXII, 1943, 173.

[6] Per. XXXI, 1942, 79.

[7] Per. XXXII, 1943, 173.

de Seminariis die 12 ianuarii 1950. Percontanti enim hac de re Rev.mo Vicario Generali Coloniensi eadem S. Congratio litteris supra propositis per procuratorem respondit tales iuvenes decreto diei 25 iulii 1941 subesse ideoque hanc S. Congregationem consulendam esse, antequam isti in seminarium admittantur. Consulto eadem S. Congregatio procuratori commisit, ut alios quoque Ordinarios sciscitantes edoceret de rei gravitate. In Germania autem, ut praemisimus, iam omnes Ordinarii locorum, iussu Em.mi Cardinalis Coloniensis, exemplar huius rescripti acceperunt.

A fortiori itaque postulantes comprehenduntur decreto diei 25 iulii 1941, quia certissime aliquo modo ad religionem pertinent, prout ex can. 538-541 manifestum est.

At non requiritur recursus ad S. Congregationem de Seminariis, antequam admittatur in seminarium, qui fuit famulus vel convictor in domo religiosa; neuter enim ullo titulo ad religionem pertinuit.

6. Nihil sane proderit ulla informatio, nisi sincera sit et verax. Unde S. Congregatio de Seminariis suadet, ut sub conscientiae obligatione exquirantur informationes a Superioribus religiosis, ne hi, reticentes defectus, studio cedant sese liberandi ab alumno vel sodali, de cuius vocatione merito dubitandum esse norunt, attestationibus nimis favorabilibus, et sic cooperentur, ut in clerum saecularem penetrent vocationes deficientes.

7. Opus nequaquam est recursu ad S. Congregationem de Religiosis, si ex-seminarista non aspirat ad sacerdotium, sed statum religiosum amplexurus est uti frater laicus. « Nam mens Congregationum de Seminariis et de Religiosis fuit ordinare transitum eorum, qui *ad sacerdotium contendunt,* sive in saeculo sive in religione (La Puma, p. 236) » [8].

---

8 *Commentarium pro Religiosis* 1942 p. 236; REGATILLO, *Interpretatio et Iurisprudentia Codicis Iuris Canonici* n. 242 in fine.

8. Denique notare iuvat, stricto iure urgeri non posse, quae supra exposita sunt et extensionem continent. Nam istae declarationes, quatenus extensivae sunt, secundum canonem 17 § 2 promulgatione egent, quae hucusque deest. Sane dolendum est, quod tam Motus proprius Benedicti PP. XV diei 15 septembris 1917 initio Codicis Iuris Canonici positus quam canon 17 neglegi consueverunt, quemadmodum pluries nonnulli auctores notarunt; cfr. etiam Per. XXXI, 1942, 74.

Franciscus Xav. Hetch S. A. C.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex Libris

V. Alt O. F. M. Cap., *De potestate magistri spiritus ad normam canonis 588,* Romae, Officium Libri Catholici, 1949, IX-165 pag.
Introductio. De magistro spiritus ante constitutionem Clem. VIII « Cum ad regularem ». A constitutione clementina ad C. I. C. Conclusio partis historicae. De auctorum sententiis. Interpretatio can. 588 ad normam can. 18, 20. Magister spiritus in iure particulari vigenti. De natura potestatis magistri spiritus. Conclusio.

R. Arès S. I., *L'Église Catholique et l'organisation de la société internationale contemporaine (1939-1949),* Montréal, Studia Collegii Maximi Immaculatae Conceptionis, 1949, 264 pag.
La question de fait: L'Église sur le chantier international. La question de principes: L'Église et l'ordre temporel international. L'exposé du programme: Les propositions constructives de l'Église. Conclusion générale. Bibliographie.

A. Bea S. I., *Die neue lateinische Psalmenübersetzung, ihr Werden und ihr Geist,* Friburgi B., Herder, 1949, VIII-171 pag.
Motu proprio « In cotidianis precibus ». Historia praevia. Novae versionis problema. Originalitas et spiritus Psalterii Piani. Iudicium, usus actualis, prospectus. Appendices II.

G. Brinktrine, *La santa Messa* (versione dal tedesco), ed. 2, Roma, Edizioni Liturgiche, 1952, 346 pag.
Introduzione. La Messa Romana. Messa dei catecumeni. Messa dei fedeli. Parte finale della Messa.

O. Cloran S. I., *Previews and Practical Cases, C. I. C., Book V: Delicts and Penalties, CC. 2195-2414,* Milwaukee, Bruce Publishing Co., 1951, XVI-350 pag.
Natura et classes delictorum. Imputabilitas, circumstantiae aggravantes vel minuentes, delicti effectus iuridici. Crimen attentatum. Potestas coactiva. Natura, divisio, applicatio et interpretatio poenarum. De superioribus qui potestatem coactivam exercent et subditi qui ei subsunt. De poenarum remissione. De censuris in genere et in specie. De poenis vindicativis. De remediis et poenitentiis poenalibus. De poenis particularibus ad crimina specifica.

J. Cronin S. S., *Catholic Social Principles: the Social Teaching of the Catholic Church Applied to American Economic Life*, Milwaukee, Bruce Publishing Co., 1950, XXVIII-803 pag.
De quaestione sociali. De Ecclesia et problemate sociali. De homine in vita economica. De virtutibus socialibus. De economiae philosophiis falsis. Ordo socialis idealis. Iura officiaque capitalis. Socialia operariorum problemata. De iusto salario et plena occupatione. Syndacatus. Proprietas. Munus status civilis. Philosophia socialis catholica in Statibus Foederatis: declarationes auctoritativae, « distributismus » et actio cooperativa, philosophia ruralis, concretus modus agendi catholicorum, principia et actio socialis. Appendices IV.

P. D'Avack, *Cause di nullità e di divorzio nel diritto matrimoniale canonico*, vol. I, nuova ed., Firenze, Casa Editrice del Dott. Carlo Cya, 1952, XIV-761 pag.
La natura teologico-giuridica del matrimonio canonico. Le finalità e proprietà del matrimonio canonico - il favor matrimonii. Gli impedimenti e le cause di nullità in genere. Il defectus sexus seu subjecti. Il defectus discretionis iudicii in genere. L'amentia habitualis e il defectus sensuum. La mentis exturbatio e la mentis debilitas. Il concetto della copula perfecta e della consummatio coniugii nelle fonti e nella dottrina classica. Il concetto della copula perfecta e della consummatio coniugii nella dottrina e giurisprudenza attuali. Il fondamento storico-giuridico del concetto della copula perfecta e della consummatio coniugii. L'impotentia nelle fonti e nella dottrina classica. L'impotentia nel diritto canonico attuale.

Eichmann-Mörsdorf, *Kirchenrecht*, II Band: *Sachenrecht*, ed. 6, Paderborn, F. Schöningh, 1950, 504 pag.
De baptismo, confirmatione, poenitentia, extrema unctione. Ius de ordine sacro. De iure matrimoniali. De sacramentalibus. De locis et temporibus sacris. De rebus sacris. De sacris docendi ac educandi muneribus. De beneficiis aliisque institutionibus ecclesiasticis. De ecclesiastico iure proprietatis.

J. Ford S. I., *Depth Psychology, Morality and Alcoholism*, Weston, Mass., Weston College Press, 1951, 88 pag.
De motivatione non-conscia. De huius relatione ad responsabilitatem moralem. De alcoholismi natura. De responsabilitate morali hominis alcoholici.

E. Kuyper O. F. M., *De Separatione tori, mensae et habitationis ratione adulterii iuxta C. I. C.*, (Collectanea Franciscana Neerlandica X - 1), Buscoduci, Malmberg, 1951, 88 pag.
De huius separationis fundamento, conditionibus, impedimentis. De auctoritate competente ad hanc separationem instituendam. De separationis effectibus. Conclusio.

M. Card. Lega, *Commentarius in iudicia ecclesiastica iuxta C. I. C.*, (curante V. Bartoccetti) 3 vol., Romae, Anon. Libreria Cattolica Italiana, 1950, XX-509; IX-533; VII-763 pag.
I - De foro competenti. De variis tribunalium gradibus et speciebus. De disciplina in tribunalibus servanda. De partibus in causa. De actionibus et exceptionibus.
II - De causae introductione. De litis contestatione et instantia. De interrogationibus. De probationibus. De causis incidentibus. De processus publicatione. De causae conclusione et discussione. De sententia, deque iuris remediis contra sententiam.
III - De re iudicata et de restitutione in integrum. De expensis iudicialibus et gratuito patrocinio. De executione sententiae. De modis evitandi iudicium contentiosum. De iudicio criminali. De causis matrimonialibus. Appendices V.

A. Mayer und O. Heiming O. S. B., *Archiv für Liturgiewissenschaft* (herausgegeben von H. Edmonds O. S. B.) Band I, Regensburg, Pustet, 1950, XI-507 pag.
S. Pauli terminologia de cultu. De historia festi SS. Trinitatis. De raris sed sat magni momenti fragmentis trium antiquarum collectionum. Praefatio defunctorum antiqui alicuius poematis. Observationes de historia Canonis Missae. De ignota formula cuiusdam dypticis. Praeceptis salutaribus moniti. Praefationale Mediolanense. Relationes de litteratura in genere. Relationes de historia religionis. De liturgia christiana primitiva usque ad Constantinum Magnum. Liturgia Orientalis a saeculo quarto. De cantu gregoriano.

C. Noppel S. I., *Aedificatio Corporis Christi, Aufriss der Pastoral*, ed. 2, Freiburg, Herder, 1949, XII-258 pag.
Praesupponenda ad curam animarum. Elementa essentialia aedificationis Ecclesiae in Corpus Christi: de personis virtute praeditis; de officii pastoralis mediis physicis; de mediis ad unitatem inter pastorem et gregem promovendam. Erectio et augmentatio Ecclesiae in campo paroeciali, dioecesana et mundiali. De fine et munere illius qui curam animarum agit. De credentium admissione in Ecclesiam eorumque confirmatione mediantibus sacramentis. De directione animarum ad perfectionem. De directione eorum qui morbo vel debilitate sive corporis sive animae laborant. De animis ab Ecclesia separatis.

M. Sinopoli, *L'Opera di Terra Santa, contributo storico-giuridico*, 2 vol., Roma, 1950, Delegazione di Terra Santa, VI-279 pag.
I - L'Opera di Terra Santa e il riconoscimento della personalità giuridica da parte dell'ordinamento della Chiesa. La natura instituzionale dell'opera di Terra Santa. La struttura della stessa Opera. Riconoscimento e protezione dell'Opera da parte delle nazioni cattoliche. Qualificazione giuridica della rilevanza internazionale dell'Opera di Terra Santa. Appendice.

II - I commissariati di Terra Santa, loro natura giuridica e disciplina regolatrice. L'Opera di Terra Santa in Italia dopo l'unificazione. Il commissariato di Terra Santa di Napoli e l'ingerenza governativa sulla sua amministrazione. Il commissariato di Sicilia e il regolamento delle collette imposto dall'autorità laica. L'Opera di Terra Santa e il Concordato del 1929.

P. VAN LEEUWEN S. I., *Het Paulinische Voorrecht,* Maastricht, E. Van Aelst, 1950, 132 pag.
Requisita ad validum et licitum usum Privilegii Paulini. De casibus dubiis circa baptismum et matrimonium. De necessitate et dispensatione interpellationum. Constitutiones Pauli III *Altitudo,* S. Pii V *Romani Pontificis* et Gregorii XIII *Populis.* De novo matrimonio, necnon de liberorum educatione et legitimatione. Decisiones S. Sedis.

A. VERMEERSCH S. I. et I. CREUSEN S. I., *Epitome Iuris Canonici cum Commentariis, tom. I: Lib. I et II C. I. C.* (Museum Lessianum) ed. 7, Mechliniae, H. Dessain, 1949, XVI-689 pag.
Introductio generalis de potestate ecclesiastica. De iuris canonici notione et fontibus. Normae generales: introductio, de legibus ecclesiasticis, de consuetudine, de temporis supputatione, de rescriptis, privilegiis, dispensationibus. De personis: de personarum constitutione, distinctione, actione et ordine; de clericis, religiosis, laicis.

G. VROMANT C. I. C. M., *Ius Missionariorum: De Matrimonio* (Museum Lessianum, l'Édition Universelle) ed. 3, Paris, Desclée de Brouwer, 1952, XVI-440 pag.
De regimine matrimonii. De iis quae contractui matrimoniali sunt praemittenda. De impedimentis matrimonii. De contractu matrimoniali. De sanatione in radice. Solutio matrimonii infidelium ex privilegio fidei. Solutio matrimonii ex potestate pontificia. De causis matrimonialibus.

J. WENNER, *Kirchliche Eheprozessordnung, Instruktionen nebst einschlägigen Vorschriften über das Verfahren in Ehenichtigkeits- und Inkonsummationssachen sowie bei Todesnachweis, Ehetrennung, und Ehezulassung,* 2 ed., Paderborn, Schöningh, 1950, 288 pag.
S. Congregationis de Disc. Sac. Instructio servanda a tribunalibus dioecesanis in pertractandis causis de nullitate matrimoniorum, 15 aug. 1936. Eiusdem S. Congregationis Instructio de processibus in causis dispensationis super matrimonio rato et non consummato, 7 mai. 1923. S. Congregationis pro Ecclesia Orientali Instructio ad conficiendos processus super matrimonio rato et non consummato, 10 iun. 1935. S. Officii Instructio ad probandum obitum alicuius coniugis. De modo pro-

cedendi in casibus separationis a toro. S. Congregationis de Disc. Sac. Instructio de normis a parocho in servandis in peragendis canonicis investigationibus ... 29 iun. 1941. Decreta et declarationes S. Officii, S. Congr. Sac., et Pont. Commissionis Codicis. Appendix.

MARTYROLOGIUM ROMANUM. Ed. quinta Taurinensis iuxta typicam propriis recentium Sanctorum Officiorumque elogiis expleta, Romae, Marietti, 1949, LXVIII-569.
Tractatus de Martyrologio Romano. Tractatus de pronuntiatione lunae. Rubricae pro lectione Martyrologii. Lectiones breves. Martyrologium Romanum singulis anni diebus iuxta novam kalendarii rationem accommodatum.

Mélanges Jules Lebreton, II (Recherches de Science Religieuse, vol. XL, 1951-1952) Paris, 1952, 480 pag.
Origines chrétiennes et patristique. Histoire de l'Église. Théologie et spiritualité. Bibliographie du R. P. Jules Lebreton.

Missale Romanum, ed. 27, Ratisbonae, Pustet, 1950.

Specimen Examinis Ordinandorum, ed. 4, Romae, Edizioni Liturgiche, 1949, XIII-280 pag.
De statu clericali, deque ritu ingrediendi in eum. De sacra ordinatione et de ordinibus in communi. De ordinibus minoribus. De ordinibus maioribus. De sacrificio Missae. Appendices II: synopsis rituum stabilium in celebratione Missae; documenta et formulae. Ritus pro ordinibus conferendis.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

Dr. P. L. Bender O. P., Prof. iur. can. in Pont. Inst. Angelico.

P. Gulielmus Bertrams S. I., Prof. iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana.

P Michael Fabregas S. I., Prof. theol. moral. In Pont. Univ. Gregoriana.

P. Iosephus Farraher S. I., Prof. theol. moral. in Pont. Univ. Gregoriana.

R.dus D. Raimundus Hammer Sac. Theol. Doctor et Parochus.

P. Franciscus X. Hetch. S. A. C.

P. Franciscus Hurth S. I., Prof. theol. mor. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. Georgius Jarlot S. I., Prof. sociol. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. Gerardus Lunther O. F. M.

P. Clemens Pujol S. I., Prof. iur. orient. in Pont. Inst. Orientali.

P. Hermannus Schmidt S. I., Prof. theol. dogm. in Pont. Univ. Gregoriana.

R.mus P. D. A. Wynen, S. Romanae Rotae Iudex.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

pag.

Detractio et ius in famam, Iosephus Farraher S. I. 5

De moralitate actus iustitiae, Dr. P. L. Bender O. P. . . 36

Missionarii eorumque privilegia et decret. S. Poenitentiariae «Consilium suum prosequens», Gerardus Lunther O. F. M. 51

De matrimonio nullo inter absentes contracto P. F. X. Hetch S. A. C. 57

Annotationes in Alloc. SS. D. N. Pii PP. XII membris conventus universalis de catholico Laicorum Apostolatu M. Fábregas S. I. 78

«Vicentina» Nullitatis Matrimonii, ponente R. P. D. A. Wynen 91

De fonte obligationis coelibatus clericorum in sacris, Gulielmus Bertrams S. I. 107

De valore professionis monasticae orientalium dissidentium, Clemens Pujol S. I. 130

Quid sit summa 10,000 francorum aureorum, Georgius Jarlot S. I. 150

Editio Typica 1952 Ritualis romani, Hermannus Schmidt S. I. 151

Annotationes in SS. D. N. Pii Pp. XII nuntium radiophonicum «de conscientia christiana in iuvenibus recte efformanda» et in allocutionem membris «Fédération Mondiale des Jeunesses Féminines Catholiques» circa «Insegnamenti ed Esortazioni sul concetto della legge morale». F. Hürth S. I. 223

Inquisitio critica in moralitatem «amplexus reservati», F. Hürth S. I. 251

De communione fidelium cum Hostiis in eodem Sacrificio consecratis, Dr. D. Raimundus Hammer 270

Annotationes in Const. Apostolicam «De spirituali emigrantium cura» M. Fábregas S. I. 318

De admissione religiosi in seminarium aut seminaristae in religionem, F. X. Hetch S. A. C. 360

INDEX MONUMENTORUM

pag.

SS. D. N. PIUS PP. XII

Allocutio ad delegatos A. Catholicae Italicae . . . 61
Allocutio membris conventus universalis de catholico Laicorum Apostolatu 67
Nuntius radiophonicus « de conscientia christiana in iuvenibus recte efformanda » 183
Allocutio membris « Fédération Mondiale des Jeunesses Féminines Catholiques circa « Insegnamenti ed Esortazioni sul concetto della Legge morale » . . 205
Constitutio Apostolica « De Spirituali Emingratium Cura », ... 301
Allocutio ad Delegatos Conv. Nat. Italico sodalitatum « Conferenze di San Vincenzo de' Paoli », . . . 326
Allocutio iis qui adfuerunt Conventui Internationali de Histopathologia Systematis Nervorum, . . . 333

S. Congregatio S. Officii

Decretum damnans Opera Omnia Andreae Gide, . . 347
Decretum damnans librum Robert Morel *La mere, Vie de Mariae* et eiusdem versionem germanicam: *Das Leben Marias,* Olten Walter, ... 348
Instructio circa Sacram Artem in ecclesiis, ... 348
Monitum super amplexu reservato, ... 354

S. Congregatio Consistorialis

Instructio super vicariis castrensibus, ... 82
Epistola ad Ordinarios Hispaniae circa vicarios castrenses. 87

S. Congregatio de Religiosis

Decretum constituens « studium » apud hanc S. Congregationem, ... 89

pag.

S. Congregatio de Propaganda Fide

Instructio de apto modo pro missionibus stipem corrogandi 355

Pontificia Commissio ad Codicis Canones authentice interpretandos Responsa ad proposita dubia circa cann. 1053, 598 & 2, 788, 822 & 4, 209, et de applicatione praescriptorum cann. 197, 199, 206, 209, potestati dominative, ... 358

Sacra Romana Rota

« Vicentina » Nullitatis Matrimonii, ... 91

INDEX ALPHABETICUS RERUM

Acatholici baptizati tenentur canone 1088, p. 57.
Accusationes in moralem a fautoribus « revisionis et simplificationis normarum moralium », p. 227.
Actio caritatis est fecunda, p. 331.
Actio catholica « actionis », p. 61.
Actio catholica non est aliqua vis seu factio politica, p. 65.
Actio catholica non est novus apostolatus laicorum, p. 63.
Actionis catholicae non est capiti esse aliis consociationibus, p. 66.
Actio ob nullitatem actorum et actio rescissoria, p. 122.
Actus malus propter se et propter circumstantias, p. 257.
Actus naturalis completus inter coniuges, p. 255.
Admissio ex-religiosi in seminarium, p. 361.
Admissio seminaristae in Institutum Religiosum, p. 263.
Adnotationes in Const. Apost. « Exsul Familia », p. 318.
Adolescentium fides orans, p. 222.
« *Amplexus* reservatus », p. 251.
« *Amplexus* reservatus », nequit sine distinctione licitus dici, p. 256.
Apostolatus caritatis, p. 330.
Apostolatus laicorum, p. 67.
Apostolatus laicorum et Actio catholica, p. 72.
Apostolatus laicorum et Hierarchia, p. 74.
Architectura sacra, p. 351.
Argumenta theologica pro sacro caelibatu, p. 127.
Ars figurativa sacra, p. 352.
Ascesis caritatis, p. 329.
Asoospermia, p. 98.

Benedictiones in editione typica Ritualis Romani, p. 172.
Bona fides monachorum eccles. dissidentium orientalium, p. 139.
Bonum communitatis ut iustificans novas investigationes et praxes medicas, p. 340.
Bonum infirmorum tamquam iustificatio novarum praxium medicorum, p. 340.
Bonum scientiae medicinae iustificans ulteriorem investigationem, p. 335.

Calumnia, p. 6.
Canon 209 et matrimonium, p. 358.
Cappellani navigantium, p. 321.
Chrisma, p. 166.
Christus docuit normas formationis conscientiae, p. 225.
Communio plurium infirmorum, p. 169.
Competentia S. C. Consistorialis in emigrantes, p. 301.
Conditiones ad valorem votorum religiosorum, p. 134.
Confirmatio et canon 788, p. 358.
Conscientia christiana quid sit, p. 186.
Conscientia, nucleus hominis secretissimus et intimus, p. 185.
Conscientia obiectum educationis, p. 223.
Conspectus historicus de communione fidelium, p. 272.
Consuetudo a medio aevo quoad sacrum caelibatum, p. 125.
Criterium « moralis novae », p. 233.
Cura animarum et emigrantes, p. 311.

Decretum S. C. Consistorialis circa praescriptum can. 534 & 1, p. 137.
Delegatus ad opera de emigratione, p. 306.
Detractio, p. 5.
Detractio et iustitia commutativa, p. 18.
Discrimen inter iustitiam et alias morales virtutes, p. 36.
Dispensatio sacri caelibatus, p. 114.
Dubium de moralitate amplexus reservati, p. 263.

Ecclesia circumscribi nequit intra fines quaestionum pure religiosarum, p. 81.
Ecclesia semper parata ad opera caritatis, p. 326.
Ecclesia ultimis quatuor saeculis non fit exclusive clericalis p. 68.
Ecclesiae orientales dissidentes nullam habent regiminis delegationem, p. 136.
Emolumenta « ethicae existentialis », p. 238.
Errores in conscientia christiana efformanda, p. 189.
« *Ethica* situationis », p. 233.
Eunuchi et matrimonium, p. 103.
Examen seminis humani illicitum, p. 101.
Exemptio vitae publicae a normis moralibus quam « moralis nova » propugnat, p. 229.
Exortatio in « Mediator Dei » circa communionem fidelium, p. 270.

Fama est necessaria ad vitam socialem, p. 14.
Fama, fictis virtutibus, adquisita, p. 30.
Familia locus ubi nascitur et alitur nova vita, p. 182.

Fidei pericula in adolescentibus, p. 221.
Fontes obligationis caelibatus clericorum in sacris, p. 107.
Fontes et radices « ethicismi novi », p. 233.
Formatio conscientiae puerorum vel adolescentium, p. 187.
Fundamentum iuris in fama, p. 6.
Fundamentum ultimum omnium iurium, p. 14.
Fructus educationis conscientiae christianae, p. 231.

Gide « opera omnia » in Indicem, p. 357.

Historia originis apostolatus laicorum, p. 69.
Historicis quid liceat circa famam eorum de quibus scriptum, p. 32.
Hominum conscientia in publicis negotiis, p. 199.
Honestas « secundum conditiones », p. 208.

Incrementum « Conferenze di San Vincenzo de' Paoli », p. 238.
Individualitas conscientiae in « nova ethica », p. 236.
Intrinsecae deordinationis « amplexus reservati » argumenta, p. 261.
Inscriptio confirmationis facienda a ministro extraordinario, p. 168.
Interpretatio canonis 598 & 2, p. 358.
Ius in famam extraordinariam, p. 30.
Ius in famam falsam, p. 9.
Ius in famam veram, p. 8.
Ius fundamentale famae, p. 15.
Iuventus et fides, p. 223.

Laicorum apostolatus subicitur Hierarchiae, p. 80.
La Mère, Vie de Mariae et *Das Leben Marias* in Indicem, p. 348.
Legis moralis obligationes primariae, p. 215.
Licita revelatio criminis occulta, p. 24.

Maturitas conscientiae in « nova morali », p. 242.
Methodus commercialis, legalis et scientifica determinandi valorem monetae currentis, p. 152.
Megaloshimi, p. 133.
Microshimi, p. 133.
Minister extraordinarius confirmationis, p. 167.
Missionarii emigrantium, p. 307 et 309.
Momentum theologicum allocutionum Romani Pontificis, p. 245.
Monachi orientales dissidentes suntne veri monachi?, p. 130.
Monachismus orientalis, p. 135.
« *Moralis* nova », p. 224.
« *Moralis nova* » praecludit viam sentiendi et vivendi christiane, p. 226.
Munus Ecclesiae erga homines modernos, p. 70.

Necrospermia, p. 95.
Non omnes vocantur ad apostolatum stricte dictum, p. 79.
Normae pro arte sacra in templis, p. 348.
Normae de apto modo pro Missionibus stipem corrogandi, p. 355.
Notae bibliographicae, p. 367.
« *Nova* disciplina morum », p. 190.
« *Nova* disciplina morum » est extra fidem et doctrinam catholicam, p. 214.
« *Nova* legis moralis » notio, p. 207.
Nulli christiano licet se in sua vita formanda a Christo subtrahere, p. 225.
Nullus processus requiritur ad declarandam nullitatem matrimonii catholicorum vel acatholicorum in absentia contractum et sine interventu procuratoris, p. 58.
Nullus status perfectionis evangelicae verus extra Ecclesiam, p. 135.

Obicienda ex parte legis christianae contra « amplexum reservatum », p. 268.
Obiectum contractus matrimonialis, p. 92.
Obligationes ordinis sacri effectus neg. iur. accedentis ordinationi, p. 123.
Obligatio servandi sacrum caelibatum, p. 115.
Oligospermia aut necrospermia non constituunt certum impotentiae impedimentum, p. 100.
Onanismus coniugalis et « amplexus reservatus », p. 255.
Operositas actionis catholicae, p. 65.
Opiniones super monachismum orientalium dissidentium, p. 130.
Ordinarii vi can. 81 dispensare nequeunt diaconos et subdiaconos a sacro caelibatu, p. 111.
Ordo iuris ordo externus, p. 46.
Organizationis « apostolatus laicorum » momentum, p. 80.

Ponderatio et crisis « novae ethicae », p. 238.
Pont. Col. Sacerdotum pro Italis ad exterum migrantibus, p. 315.
Postulata « moralis novae », p. 228.
Postulantes et ingressus in seminarium, p. 365.
Potestas dominativa et canones 197, 199, 206-209., p. 358.
Praecepta moralia Ecclesiae de conscientia in rebus privatis formanda, p. 193.
Praxis Sanctae Sedis in dispensatione votorum rel. monachorum orientalium dissidentium, p. 141.
Principia moralia essentialia applicanda in medicorum professione, p. 334.

Privilegia Missionariorum et decr. S. Paenitentiariae « Consilium suum prosequens », p. 51.
Professionis monasticae essentia, p. 132.

Quaestio de conformanda conscientia, p. 219.
Quinam potest de defectibus alienis loqui, p. 21.
Quo pacto intelligenda est summa 10,000 francorum aureorum, p. 151.

Rasophori, p. 133.
Rationes internae pro Communione ex eodem Sacrificio, p. 278.
Restitutio famae, p. 29.
Renovatio antiqui ordinis Communionis in praxi hodierna, p. 287.
Revelatio criminis, p. 23.
Ritualis Romani editio typica 1952, p. 157.
Ritus repositionis et expositionis Sanctissimi Sacramenti, p. 170.

Sacerdotes ex Europa vel Mediterraneis oris migrantes, p. 322.
Scriptores ephemeridum et fama, p. 33.
Spiritualis adsistentia praestanda emigrantibus ab Episcopis Italiae, p. 313.
Stylus et praxis Curiae Romanae quoad votum tacitum caelibatus in ordinatis in sacris, p. 108.
Subdiaconus admittit in ordinatione caelibatum ut statum, p. 127.

« *Tecnicae* amoris », publicationes improbantur, p. 252.
Textus psalmorum et canticorum in Rit. Rom. editione typica 1952, p. 165.
« *Totalitatis* » principium, p. 343.

Unitas corporis mystici Christi ex unitate Panis Eucaristici, p. 279.
Usus Hostiarum in eodem Sacrificio consecratarum, p. 274.
Usus notitiae iniuste adquisitae, p. 26.
Usus salivae in administratione baptismi, p. 165.

Vicariorum castrensium iurisdictio, p. 83.
« *Vitae* ethicae » novus adspectus, p. 232.
Votorum religiosorum natura, p. 133.
Votum caelibatus inclusum in can. 132 § 1, p. 107.
Votum monachorum orientalium dissidentium est privatum, p. 143.